[illegible] ...colaus
Episcopus Luceoriensis.

Kanon Andreae: Solemnis in Pontificem inauguratio D. Nicolai Prazmowski Episc. Luceoriens.

SOLENNIS
IN PONTIFICEM
INAVGVRATIO
ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI
D. NICOLAI
IN PRAZMOW,
PRAZMOWSKI,
EPISCOPI LVCEORIENSIS
ET BRESTENSIS,
CANCELLARII REGNI,
Festo Faustoque Die
DEDICATIONIS BASILICÆ
SALVATORIS
AVSPICATO
TRANSACTA.
Anno VNCTI in Salutem Humanam
PONTIFICIS.
M. DC. LX. IV. V. IDVS NOVEMBRIS.

Operâ & obsequio,

P. ANDREÆ KANON è Societate IESV,
ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ CELSITVDINI SVÆ
Ex antiquo Deuoti ac Deuincti.

VARSAVIÆ, Apud Viduam & Hered: Petri Elert S. R. M. Typogr.

COmpleuit Manus eius, & Vnxit Illum Oleo Sancto: & dedit Illi in Præceptis suis POTESTATEM IVDICIORVM. Et in Lege sua LVCEM dare Israel.

Ecclesiastici 45.

TVnc verissimè iudicatur: Meruit quis Honorem necné: cùm adeptus est. *Traiani Panegyristes.*

N. E. Et



P. L. B.

JN ARMA GENTILITIA DOMVS PRAZMOVIORVM (vulgò BIELINAM.)

A Rege BOLESLAO AVDACE indita: à BOLESLAO KRIWOVSTIO aucta.

ANNO REGIS REGVM 1103.

Jure BOLESLAVS *Mauortia contulit* ARMA
O PRÆSVL, *Pröauis Continuata Tuis.*
Ad Martem Genitis, conferre quid aptiùs AVDAX
Posset? quàm Solidæ Laudis, Equestre Decus?
Aurea Militiæ sunt Hæc Documenta: Quòd olim
Non Auro, at Ferro Miles habebat opus.

Liuius Histor: lib. 9. Decad. 1.

AD

JLLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM DOMINVM,

D. NICOLAVM

JN PRAZMOW,

PRAZMOWSKI,

EPISCOPVM LVCEORIENSEM, ET BRESTENSEM, CANCELLARIVM REGNI. &c. &c.

JLLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME NEO-PONTIFEX.

I*Ngens & Illustre* HONORIS TVI TEMPLVM, *cui nuper Summam Architecta Virtus adiecit Manum, vide ad Quos & Quantos attinet, vel Religionis iure, vel nomine Maiestatis. Debet, Primum velut Lapidis iactum Augusto Suffragio Beneficentissimi Principis. Debet, Delineati Operis Ideam, Arbitræ Regnorum Templorumq; Romæ: Impensas longo Tempori: Structuræ Materiem Tibi: Formam Illustrissimo iuxta ac Amicissimo* CONSECRATORI TVO: *Titulum (quod ego omnibus antepono Felicitatibus) acceptum tribuis* SALVATORI, *viua Bonarum Mentium Templa propensiùs augustiùsq; inhabitanti, quàm Lapidum Moles operosè sumptuoseq; eductas. Ergo ille, Dedicata Suo Numini & Nomini Constantinianâ Basilicâ Laterani; in hanc* Encæniantis *Gloriæ Ædem intulit sese, ne Hodiernæ non adesset præessetq; Lætitiæ, cuius Ipse & Auctor & Causa sit. Vnde enim Sacra Magistratuum Insignia? Sublimes Infulæ? Honorum præcellentia, Pacata Vestri Ordinis ornamenta conflata sunt? Vnde intextæ Auro Mitræ? Tæniæque Pontificum collo ac pectori implicantur? In Vos Illustrissimi, ac Reuerendissimi* PRÆSVLES *humanis maiora longè Decora, ex Huius Dedecore Doloreq; manarũt!* Neque enim tam humanarum Virtutum succo, quàm Huius colore sanguinis tincta Summorum vestimenta Antistitum purpurascunt! *Potuitne igitur aliquid, vel ad Votum cumulatiùs, vel ad Honestandum Honorem Tuum ambitiosiùs euenire, Tantæ Maiestatis allapsu? Nimirùm Ille Te, Sui vtiq; Pupillam*

Oculi

Oculi non lustraret? Tuo se non inferret Delubro? non Oris vultûsq; natiuum Splendorem intenderet? Lucem Aris, venustatem Altaribus non afflaret? idem Ara, idem Victima, qui Sacerdos? vel intra Ascetica Religiosæ Contemplationis Vmbracula, Diuinitatis radium porrecturus; quò deinde Sacer Syluarum Incola, ex Vmbratili recessu in Solem, è Solitudine in publicum & frequentiam prodeas, aucturus non vno Gaudio Lætum Diem. Vt iam HONORARTI *Templi Faciem, Coronis ex more Aureis perornari nolim; Nolim sueta parietibus affigi luminaria, in tanto vel Domestici, vel Acccessorij Luminis & Pompæ apparatu. Quæ Te itaq; Meritorum Felix Necessitas Altioribus dicandum Aris admouit, hæc eadem & Religiosis Mentibus diem dixit; Vt, si non Satellitium Honori Tuo aliunde Honoratissimo, saltem Vmbram facturæ adsisterent. Nam & Illustres absq; Vmbris Imagines non fuêre. Læti adsumus ad Tua Sacra*, modico Thure, (*quæ Nostræ portio Fortunæ est*) sed purâ mente Litantes, Libantesq; de Oleo *Auspicatissimæ* VNCTIONIS, *in Nostri quoq;* Oram Pallij, *deriuando. Adsumus inquam, non hodie primùm* Initiati *Obseruantiæ in Te Nostræ Cultores. Habes Deuinctos Votis & Affectibus; quos, pro Ea, quâ polles* Ligandi Potestate *Obligasti, Ritu & Nexu æternùm duraturo. Primas, Primoribus hoc Officij in Munere partes cedimus. Languent Vmbratiles Priuatorum Voces, vbi Domi Natæ Illustresque Infulis Dignitates, Tuæ Lucem* Inaugurationis *Amplificant, ab eâ quam eximiè sustinent Personâ. Ver & Æstatem (Spei illud, hoc Rei emblema) transmisimus, non Votis tantùm Animisq; verùm & Floribus atq; Aristis referti obuiam Honori Tuo ferebamur; Cum ecce Tu lepidam vel Apollini Nostro ignorantiam obijciens, voces & omina Gratulantium ad Maturitatis vindemiam, Nouembres distulisti ad Focos, Focis Patriæ Arisq; moram prorogati Temporis extorquentibus. Atq; vtinam ad Votorum Summam Tibi contingeret, Vnum instar Omnium habuisse* PATREM PATRIÆ, *Tui Initia Pontificij Conserenantem! Quantum Diei Hodierno ex illa Serenitate Maiestatis accesisset, vel ad Plausum, vel ad Pompam! Interim Absenti non omninò Absens, Regijs interest Auspicijs; vt quem nuper in Hostici Confiniis, ægrè à Suo Latere* (velut Magni Consilij Angelum) *humescentibus oculis dimisisset, Eidem Regalis Beneuolentiæ Numine,* (vel in distans) *adspiraret. Scriptionis Argumentum, extra Te Romanasq; Carimonias ne quærerem, ijsdem me scribendi Legibus, quibus Tu Te Initiandi Ritibus, circumscripsi: Auctoris Pudore cum Obsequendi Studio, certante; ne auderem Laudare, quem Laudare non possem. Sed præpotuit Tua Humanitas, vt iusti silentij perfractis legibus, inter Secunda Apprecantium, cum Præstite Eloquentiæ Tullio, alteri nempè Curiæ Tullio, vocem darem.* PANEGYRICÆ GRATVLATIONI *Laudes à Se Laudatissimi Principis intexui, quod Te id probaturum coniectarer, Separarem videlicet interstitio Paginæ? nec locorum spatijs, nec Regionum distantiâ, à Tua Fidelitate Disiunctum? Assume (quod reliquum est) Initiandam Tuâ Prosperitate Operam Auctoris, quem ex diuturno Præcelsæ Indolis Tuæ (Karnkouiani Sapientiam Athenei appello) Admiratore, Subitũ Gratulatorem simul Instituis simul ignoscis, Memor apprimè:*

Nullum sine Veniâ placuisse Ingenium. *Seneca.*

PRÆ

PROLVSIO
AD INAVGVRATIONEM.
I.
Tandem

SVbmitte aliquando **Honori Infulato**
Jam pridem Consecratum Reipublicæ Curis Caput,
Ex Hominibus, bono Hominum *Ad Heb. 5.*
Assumpte Pontifex.
Jpsa Te Sacrorum Antistita Religio
In Altioris adyta Sacrarij manu ducit.
Nemo Sacrâ aut Ciuili Dignitate dignior
Quàm, cui Dignitates, ex dignitate gerere solēne sit.
Nisi quòd Tu, Nobilis Gloriæ fugitiuus
Trahi Te potiùs ad tua Decora quàm duci patiâre,
Totus alienæ Transactor felicitatis, parcus Tuæ.
Adeò instituendis Regni Ordinū Fortunis occupato
Priuatæ incumbere Sorti non vacabat;
Benè vtique persuaso:
Spretam in semente gloriam, redire vberiùs in culmo.
Par prodigio Moderationis exemplum
Jn ipsa Potestate, modum potestati scripsisse!
Multùm ab humana deflexit cōsuetudine
Quisquis Ambitiosæ appetētiæ parsimoniā indixit!
Diuinitatis ingeniū est: Suâ se inuoluere magnitudine.
Hinc
Et maximis religionibus lucos prætexuit antiquitas
Maiorem videlicet ex abdito Venerationē habituris.

Citò desituræ Ambitionis argumentum creditur:
Toto simul in publicum prodire apparatu.
Planetarũ quoq; principi, inde maiorẽ videri cõtigit
Vnde minorem se, obiectu Nubiũ, commentus est.

Eò Tu insuper admirabilior,

Quòd longissimâ etiam iniquitate temporum
Ad Tuæ præscriptionem Modestiæ rectè vsvs
Omni Excellentiæ gradu celsius potiusq; duceres:
Priùs Patriam statûs pristini reponere in gradum
Quàm ád statum staturamq; altioris assurgere
Sacerdotij.

Importunum Ratus.

Læta dedicandi Nominis obire Encænia
Bellorum tempestate Aras & focos inundante.

Sic

Præfinita Inaugurandis, iure Maiorum, interstitia,
Fatorum iniuriâ, & Tuo seruanda Pontificio fuêre.
Sub armato irati Martis interdicto
Festum Honorariæ Celebritati diem dicere, nefastum
erat.

At, vel nunc demùm

Magnorum in Superos Hominesq; meritorum reus
Maiores prehẽde Aras, grãdioribus Hostijs placãdas.
Habes apparatissimæ Inaugurationi præstò omnia:
Incomitatus prodire in publicum haud poteris;
*Acolytarum Te circumstat Ordo Virtutum:

** Acolytus Græcè Immobilis.*

Omnes lectæ censæq; sunt
Cœlo indice, Româ Iudice.

De pretio earundem, vt ne dubites,
Ad Lydium Orbis & Vrbis exploratas noris;
De sæculorum iudicio vndequaq; securas
Ex quo Dei & Regis calculo approbatas.

II.

SERENISSIMVM JOANNEM CASIMIRVM
difficillimâ Expeditione secutus, fido præsenteque Obsequio, in Castra Comitatur.
Audentiorem Audace Boleslao CASIMIRVM
Plus vltra, Plus & Citra Progressum
Fido secutus Comitatu, in Toga & in Sago PRÆSVL
Gestationi armorum, suffecit tractationem animorum;
Idem, & Sacræ Stipator Maiestatis, & suæ Fidei Stipulator.

Quô Loci

Amphiaraos & Tyresias, sequacia Castrorum Numina
Fide, Consilio, Oraculo inumbrauit Suo.
Scilicet,
Oppositu Tripodum, in quadrupedum Vaserrimos? *Antiquæ superstitionis mos.*
Fibris pecudum, in hominum pecudes pugnaretur?
Nõ Auiũ oscitatione, sed Aquilis in vultures illos itum.

Quod si

Legitimè duntaxat *Certantibus* palma præcerpitur, *2 Timot: 2:*
Nemo Te, palmæ propior, nemo iuris melior ad Coronã.
Superata flumina, euicti torrentes,
Absorptæ molestiæ, deuorata pericula, exhausti metus,
Robustum Heroicæ indoli in alimentum cessêre.

Meritô igitur

Trans-Borysthemiæ theatra Tolerantiæ
Aspectabilem Ciuici Plausûs cõmutantur in scenam;
Toleratæ sub papilionibus Hyemes
Jn Vernæ Magnificentiæ tentoria explicantur;
Incultæ solitudinis horror, honore frequentiæ pensatur.
Molestum Hoc Ignauis Calcar, aut Supplicium
Tibi vtriusque sortis experimentum fuit.
Quanquam Fortunæ hîc quorsum memini?
Ex Destinato Viuere & Agere assuetus
Vt Fortunæ, Tui copiam non facis,
Jta Casum non aduocas in Consilia.

Istud planè est
Peregrè in suam laborâsse purpuram.
Domi Vos igitur continete
Tyrij & Sidonij, colorum fucorumque propolæ,
Vestro non eget Murice, Virtus de suo paludata.
Peregrinum vuæ sanguinem & succum non emit,
Qui inuectitiæ tincturæ, natiuū anteponit splendorē.
Quàm decorū Tibi & dulce: Antistitum Tolerātissime,
Per aspera & confragosa viarum
(Hoc est Fortium itineribus)
Ad Tui Capitolij fastigium euasisse!
Tantis malorum impendijs, tanta bonorum compendia parantur,
Hebr: 2. *Tentatus per omnia calamitatum discrimina Dolorum Pontifex*
Eidem Te excolendum Tirocinio addixit.
ITA
Bellorum euentis vtcunq; impedita Expeditio
Expeditum Tibi ad solennia Inaugurationis, fecit iter.
Hiberna isthîc Spartanæ Patientiæ,
Hîc stationis pacatæ Æstiua metaris, vel in Vere.
Jactatus in alto Ciuilium Curarum,
Emeritæ Quietis duc in altum.
*Hodiernus Pontifex. *CVSTOS MONTIVM
Custodem Te Mentium pronuntians
Prætoriam SIMONIS in Cymbam Te accipit.
Tutiùs nauigat VATICANA Felicitas
Vbi plures remigio Argonautas adsciuit.

III.

Serenissimi Regis Nomine, Exercitibus agit gratias.

Etiam

Incerta Aruspicum nihil moramur auguria,
Dum victorioso NICOLAI ex Nomine omen, capimus.
Tui primùm, dein Militum Triumphator
Laurum

Laurum explica, quam prænominis ethymo polliceris.
Pulchrum est ad domesticæ decus Victoriæ
Tripudiandi causas intra Nomen habuisse.
Quota hæc ad Posteros commendatio?
Inaccessa præliarium mentium propugnacula
Admotis dicendi machinis expugnasse!
Interq; manubias & spolia Animorum
Captiuas amore Acies in Triumpho duxisse!
Ad cuius Miraculi stuporem reuocaueris?
Fecialis Eloquentiæ inermi telo
In præcordia Militis, altiùs descendisse!
Non indecoras Marti lacrymas
Nisi nouus in purpura Tullius, non exciret.
Actæ Regis Nomine Exercitibus Gratiæ
Humanâ maiorem fandi gratiam exegêre.
Cui silentium attentionis non impetrauerat sed impe-
rauerat
Maiestas Principis circumlata per turmas.
Porrò, superflua illic Demosthenis vehementia
Vbi Lenitas Regia, in suo perorâsset Interprete:
Vocis & laterum contentione opus non fuit
Solâ Actionis venustate, suas transigente partes.

Et verò

Non surdis ad vota Patriæ auribus,
Præsens Necessitatis Oratio Ratioq; persuasit,
Quod nec Attici vis Eloquij peruicisset;

Præsertim

Quòd verborum elegantiam Campestris non admit-
tat orchestra.
Vix audiuntur Oratorum fulmina
Inter fulminantium tonitrua Machinarum.
In primo Oratoriæ impressionis assultu
Signa & galeas, Regnatrici Aquilæ submisêre Cohortes;
Moturæ eò acrioribus in Hostem animis
Quò generosiùs, Tuæ classico Facũdiæ excitis arrectisq;,
Rumore per stationes & Tentoria vulgato:

Nunquam sic aliàs; *Mentem & Os Domini Locutum*!
Isaiæ 25. Jnuideat Romanis disertum Cyneam Pyrrhus arrogãs,
Svo beata Nestore Polonia,
Nec inuidet suos Exteris Oratores, nec ambit.
Nempè
Et Nostro huic, Togã inter & Sagum posito,
Domi militiæque
Jn expedito Consilia, in procinctu Suada.
Nec mirum
Comitia ac Senatum intra se circumferenti
Nusquam res, & Verba non suppetere;
Vel ad subitam extemporalis copiæ affluentiam!
Quà militariter succincto Breuitatis Cultu,
Quà ciuiliter explicatâ Sermonis pompâ.
Recantet iam Palinodiam quisquis cecinit:
Oratorias inter Arma Silere Leges.

IV.
CIRCVMSTANTIÆ CONSECRATIONIS.

Non frustra
Sacer Antistitum Triumuiratus
Tuo Muneri Oneriq; adsistit assidetué;
Nimirum
Pontificij moles Negotij, tribus appensa Digitis
Tuis libranda Manibus, gestanda humeris deponitur.
Sacram Candidatæ Felicitatis Stolam
Tripartito pollice, non profanus contexit labor.
Hebr. 9. Et Hic DEI Triplex Digitvs
Futurorum Te Præstitem Bonorum indigitat!
Trium in Ore Testium, testatior constabit Virtus.
Nemo non istorum

Tuis velificatur desiderijs ,
Tuis adspirat Auspicijs ,
Tuis adstipulatur Promeritis,
Nempè
Et hi Tres, animâ spirantes in vna
Vitæ Tibi & Famæ, triplex inspirant spiraculum! Genes. 2.
Felicem Te supra vota Elysei, ô PRÆSVL:
Duplicem ille Magistri Spiritum attraxerat; 4. Regũ. 2.
Tu triplicem è sacro Flaminum Ternione!
Et adhuc, collecto in Te COLLEGARVM Spiritu afflatus
Pestifera dissidentis Aëoliæ, non difflabis flabra?
Sortem diuinioris Ministerij Sortitus Actor: 1.
Non & tantorum Consortes operum sortirere?
TERNO STIPATVS ACHATE
Stringe acutum vtrâq; parte Gladiũ in Lemani Hydras.
Ad fecunda monstrorum sæcula deuentum est.
Nec sine Numine Diuûm,
Gentilitia inter Arma, præmunitũ *Soleis Mucronem* geris.
Peropportunum perimendæ Hæresi instrumentum.
Experire si lubet
Num à *PETRI Acinace* contactus, vim & acumen acceperit.
Vt absit incursantis Malchi violentia,
Non deerunt Gigantes, Cœlo secundam oppugnantes Romam.
Tu interim
Præcipientis Domini obsecutus imperio
Mitte Gladium (Pacis & otij) *in vaginam.* Ioan: 18.
Sat, superq; tot aduersis limatus
Longo Militiæ splendescit ab Vsu.
Vide, vt in singulis vitæ actibus singularis
Ad Vittarum quoq; eximiam possessionem
Singulare meriti ius à se ipso exegit.
Ac, ne ex improuiso subitus veniret ad Tiaram,
Jnter Cœli & Soli ardores algoresq; versatus
Vltrò institit durare, & durari ad Mitram.

V.

V.

Solenne Iuramentum præstat Sedi Apostolicæ.

Ritè Sapienterque

Caput sonas. Jnitiandi sui primordia à Capite exorsus
• CEPHÆ Orthodoxorum primo Principi
Os & Suadam consecrat PRÆSVL Noster!
Primæ Veritatis Magistro & Interpreti
Mentem & linguam principiò dicari par erat.
Non aliàs vnquam religiosiùs:
Ex pretio Maiestatis Vaticanæ Locutus est Homo!
Habet iam Romanus ALEXANDER
Togatum Triariæ Cohortis Primipilum,
Maioris auctoramenti succinctum baltheo
Jnitiatum Sacramento.

Benè habet

Contestatæ ad Aras Fidei, iuratus Assertor
Ad Tim. Bonam (*comite Timotheo*) certaturus Militiam,
Martialis prosapiæ suæ, Ensē & brachium
CHRISTO & PETRO deuouet, vtroq; pollens.
Securior Lateranæ Eminentia Basilicæ sese efferet,
Tam Sublimis accessione Munimenti.
Diuini æquè ac Humani seruantissimus Æqui
Potestatis Latiæ iura, Honorem, prærogatiuas
Vindicare, tueri, prolatare ex vsu habet:
Romæ & Patriæ medius
Sacro-Ciuilis Curiæ priuilegia, & Causas,
Tam sui Capulo GLADII,
Quàm ANNVLO PISCATORIS consignat,
Jdem legum Arbiter, idem Custos.

Cæterùm

Vetita hæc vobis Templi limina ne attingite:
Quibus iurandi æquè ac peierandi par leuitas
E peruersioris Politicæ Magisterio inhæsit.
Perditæ mentis, improbi Circulatores

Fidem

Fidem, tunc maximè obligant, cùm maximè violant: Strada.
Pulsant Tartara, dum Sidera testantur,
Superos, medios, inferosq; miscent
Periuri Votorum Impostores.
Crepate vos deinde
Liuenti inuidiâ tumentes Rabulæ,
Ad præconia Romani Magistratûs
Muti stolidè, obstinatè elingues,
Claues PETRO & Clauum, (si liceat) erepturi.
Vsque adeò
In PETRÆ *Offendicula impingere & illidi, Vestrum est.*
Atqui non placet Orci Satrapis
Solenne ELECTI Præsulis Iusiurandum?
Non tam è vetere Moris Formulâ
Quàm ex arcanis Animi Tabulis Nuncupatum.
Fuerit inuidis Assectatoribus
Tuæ Prosperitatis Initiamentum tormento,
At Veri cultoribus, documento futurum:
SEDI APOSTOLICÆ obsequentem Reuerentiam
Vel ex Longinquo intendi posse.
Ac ne multa
Sume Ter Sacrum * Codicem
**Euangeliorum librum.*
Cuius in Verba, tacto Religionis pectore
JVRATVM EST.
Euolutâ Humanæ Eruditionis Iliade
Euangelicos euolue Fastos,
Quot apices, tot Oracula complexos!
Tota hîc Diuinitatis Oeconomica,
Tota Recti Honestiq; Ethica,
Tota vtriûsq; Sapientiæ recondita Supellex
Vnum VERBI in Compendium Collecta est!
Superaddat, (*ex vtroque Cæsar*)
Suis pugionem Commentariis.
Vel ad terrorem Auctoritatis vel ad fastum,
 Tu,

Tu Tuum, DEI Annalibus adde GLADIVM,
Pronuntiatæ modô Fidei,
Vel Tutamen vel Pignus.

V I.

SACRO INVNGITVR CHRISMATE.

Deſcendite, Luctatoriam Fortes animæ in arenam,
Lacertoſus Polonæ Curiæ Atlas, vngitur in Athletā.
Nobilis Agonotheta, nouo Gloriæ initiatur Agoni.
Efformato in Crucem Oleo intingitur,
Ne fluxum ad delicias, aut molle Juſpiceris Vnguentum.
Pigmentariam, vt lubet, adite Officinam
Luxu & otio enerues elumbesq; Sibaritæ.
Gymnici iſthæc Exercitij Palæſtra eſt,
Volatica fucorum examina procul arcet.
Ex alieno natis viuere, fatale Muſcis Oleum eſt.
Sed & Vos,
Procul eſte profani, Sacrorum deriſores;
Bonus Chriſti Optimi Odor, malè Olentibus, malè olet.
Fremat indignabundus, nimiùm emunctæ naris
Jſcariothes,
Frangi nollet alabaſtrum Vnguenti
In vſum Verticis Nazarei.
Tota illi Auaritiæ ratio:
Matth: 26. *Potuiſſe Venundari & Venire Multo.*
Malè quæſtuoſa cupiditas, perditum iri putat,
Quidquid vngendo Diuinitatis Capiti impenditur.
Perge NEO-PRÆSVLIS INCLYTE CONSECRATOR,
Jn perungendo tam vtili, PATRIÆ CAPITE,
Oleum & Operam, Non perdes.
Non parco pollice
Liberalem NICOLAI Verticem, Manuſq; inunge;
Ita

Jta ambit, ita flagitat,
De hoc ipso LVCENS OLEO *LVCEORIA, *Suæ Diœceseos Metropolis & Sedes.
Quò, è Capite sui Præsulis
Jn Suæ fimbriam Chlamydis guttatim defluat,
In Oram quoque Wołhyniæ vbertim descensurum.
Procul & de medijs Palestinæ finibus *pretium illi!*
Ab vsq; Gethsemani Oliueto deriuatum noueris!
E Dominici Sudoris Cruorisq; Opobalsamo
Jstud eliquatur Vnguentum.
Illo Hortensium è torculari Olearum
**Sacratior Vnctio Sacerdotum, hodieq; emanat.* *S. Leo.
Ille ipse Cœlorum Terrarumque Gigas
Supremâ cum Doloribus in agonia colluctatus,
Athletico Te, contra Antagonistas præparauit Agoni.
Hem! quàm oculata Numinis præuidentia!
Suo semel tinctus oleo Pœnarum Rex
Regali Sacerdotio vt indidem superesset, fecit.
Pleni Rore & Guttis Noctium Cincinni eius, Cantic: 5
Jn Tuam etiam redundauêre Cæsariem!
At enim: Vaticana exsecranti Sacra
Delibutus Chrismate, Schismati ingratùm oles;
Latino dari sibi de Oleo haud merentur.
Qui Othomanicâ venale in Porta Oleum exportant,
Egregiâ optione: Lucrati pro Olea Oleastrum.
Romano-Catholica indiuisi Spiritûs Vnctio
Scissum Romano à Capite non impinguat Caput;
Neq; medetur, Animorũ ex dissidio, hianti plagæ.
Videte mihi
Ex Contumaci Superstitiosam Auulsorum Sectam:
Auersa ab Occasu in Ortum, Saracenicam adorat Lunam ob Patriarcham Constantinopolit.
Suæ Leuitatis Inconstantiæ Concolorem,
Nihilo lyncea, si in ipso cæcutit Oriente.
Plaude iterum, toto Climatis vertice, LVCEORIA.
En ipso Capitalis Coronæ in Vertice
Pacatæ omen Oleæ prætendit, dum portendit
Tibi Vnctus Augur,

Cōprecantibus PACEM Sibi Collegis,
Redditurus Voto & Re, in vindemia maturæ Pacis.
Quod si natura Olei
Plin. l. 2. c. 103. Mare, *Rem Omnium sæuissimam* tranquillat,
‡ Adagium Suo ‡ *Tranquillior Oleo* Antistes,
Decumanos bellorum fluctus
In Malaciam non componat?
Agite porrò, Acalolytæ functionis Ministri:
Cogitaturo Cogitationes Pacis, Capiti
Jmpressa Pacis liquidæ Symbola ne extergite.
Quin & Tu ipse (si me audias)
Sacro imbutas liquamine palmas manuum
** Pontificalis ritus* * Demissâ hâc è Collo Fasciâ ne ligaueris;
Jn Tractationem Paciscendi Fœderis, actutùm Soluendas,
Aut Victricem (me Vate) explicandas in Palmam.
Benè nihilominùs
ex Ritu & more. Pressis manibus, illitum tenes fouesque Oleum:
Non ex vano diuinante Patriâ:
Pactorum Conuenta Euentaque
Tibi in Manu aut sub Manu fore:
Plin lib. 15. C. 3 Et iam antiqui legem Adagij non audio:
STRINGI OLEVM, prohibentis.
Quid, quòd Regum Parens & Nutrix Varsauia,
Formari Te in Hominem Homine Maiorem, gauisa
Secundos hîc tibi Natales,
Et altera gratulatur Genethliaca!
** Ex vsu ritus.* *Sic inter* Lintea, & Vincula Vnctionum*
Ampliores Ligandi Soluendique renasceris ad Fasces!
Tanti est:
Jnter Fascias nasci DEVM, & Creari Pontificem!

VII.

PASTORALIS OFFICII BACVLVM DE MANV INITIANTIS ACCIPIT.

Am-

Ambitiosum olim Pastoris Nomen,
Nisi à Supremis geri Magistratibus fas non erat.
Pastoritius Baculus, Regalis Sceptri Anteambulo. *Iosephus Histor.*
Cyro, Pastorum inter greges Egregio
Notiora priùs Caulæ quàm Aulæ itinera.
Jnter Ouium armenta Mosi *Exodo.*
Perarduæ Legationis obuenêre momenta.
Pastoralem priùs, Pacatus Dauides
Quàm Imperatoriam armatus Clauam pressit.
Ludentis ea Fortunæ Variatio isthic fuerit,
Hîc Æternæ Mentis & Dexteræ Comutatio. *Psal. 76*

Itanè verò

Jnserta iculariter, DEI Manibus Arundo,
Serium Potestatis Pontificiæ succreuit in Sceptrum?
Fragile Ventorum ludibrium Calamus
Jisdem Patientis DEI duratus malis
Jn robustum Coerctionis Scipionem euasit.
Timete Audaces Rapacesque Lupi

Ex miti Acrem

Alterum Aaronicæ Portitorem Virgæ.
Mitissimus, vel DEI præconio Pastorum ille *Num: 12*
Purpurato quondam Ouium *Oppressori ** Pharaoni.*
Formidabile, cœlo terrâque, obiecit Telum.

Spectate eminùs

Lenissimi Pastoris illustrem portentis *Caduceum ** Moysis Virga*
Vt sibilat in Serpentem!
Vt rubescit in Cruorem!
Tenebrescit in Cinerem! *Exodi 7. 8. 9. 10. &c.*
Grassatur in funera!
Tonat, grandinat, pluit, fulgurat, fulminatque.

Terroris illa

Hæc Fiduciæ argumenta accipe:
Sæuientis apud Ægyptios,
Domi Mansuescentis Virgæ.
Quum, translatis à Pauore Palloreque ostentis

Blan-

Blandiora Humano generi germinaret in prodigia,
Extuberaret in gemmas,
Explicaretur in folia,
Maturesceret in fructum.
Rata fixaque in rem Neo-Pastoris Eruditio:
Amoris indulgentiam, supercilio Terroris cõtrahen-
dam esse.
Dictum Bonæ Pronæq; Indoli
Effato sese euoluente in Factum;
Vnde enim
Modò VNCTVS, modò Cinctus
In Pontificem NICOLAVS
Et iam sui temporis* *Nicolaitas & Leontinos*
(Malis Artibus, malo Orbis institutos)
Primo omnium fulminauit Anathemate!
Pestilens Sectæ genus
A Sui Communione Consortij procul habet;
Nec alloquio nec Mensâ dignatus
Quibuscum malè conueniat Virtuti.
Jn blandè Subdolos, ex aperto Seuerus.

** A Nicolao Machiauello & Leontio eius discipulo exortos,*

Boni Pastoris esse:
Tondere Pecus, non deglubere
A malo cætera * Principe dictum benè.
Sed Imperatoriæ hoc vocis tonitruum,
Conductitii Custodis Mercenarias ferit operas,
Nostrum nec afficit, nec percellit PASTOREM
Prima Hæc Illi Gloria: Præesse & Prodesse Gregi.

**Galbâ Imperat, Roman.*

Gnarus perbellè
Quid inter Aulæ & Caulæ Negotia intersit,
Jta suis Munia numeris distinguit & contemperat,
Vt & Regi Suo adsit in Opere,
Et Gregi in prouidis Curionibus non desit.
Securæ abhinc Vestri velleris este Oues:
Vestri Tutor & Pastor Ouilis, à se Ornatissimus,
Vestra

Vestra vobis tegmina in tuto integroque sinit.
Ex Ritu Initiatus Aaronico,
Gedeonici Lanam Velleris
In Sui Stamina† Laticlauij deducit. †Senatoria Vestis
Gestent Aurei Velleris Decus Colchicum
Torquati Ordinis Ritu Initiati Principes;
Tibi: * *Palabundæ Ouis Alteri Baiulo, Cura potior:* Lucæ 15 Errans Ouis.
Amissa quærere, quàm potiri inventis,
Et Latia, Errantes reuocare ad Septa Capellas. Ioan: 10 Vnum Ouile.

VIII.

MITRA PONTIFICALIS, CONSECRATO IMPONITVR.

Recurrite
(*Si quis Orco regressus*) Histrionicam in Scenam
Otioso sæuientes in ludo, Ludiones.
Cernite & Stupete:
Vt plexum acutis è Sentibus Insonti tormentum,
Coronato PRÆSVLI cedat in Capitis Ornamentum!
Cruciamentis miseri semel apud Homines, DEI,
Tuæ Inaugurationis Coronamenta stetêre.
His tinctæ inspersæque guttis,
His distinctæ pyropis Tæniæ,
Ipsi ad inuidiam offulsêre Soli!
Vnctus Dolorum Imperator
Asperatâ dumis horrentibus in Galeâ
Tuo Militauit, vel Exauctoratus, Honori.
Illa Regnandi Ambitiosa olim Planta Iudicum 9.
A pedestribus insidijs Diuinum eluctata in Verticem
Quà Regibus in Coronas,
Quà Pontificibus in Mitras germinauit.

En

En

Vt illusi Numinis textum vepribus Diadema
S. Damasc. lib. 4. de Fide (*Romani potissimùm gratiâ Principatûs*)
Auro gemmisque radiantes retextum est in Vittas!
Roma purpuræ Domina His opus habebat;
Ioan. 18. *Et Milites quidem Hoc Fecêre* Sertum
Qui suo meliùs Capiti Ciuicam texuissent;
Hoc vno, ô Pontifices, de vobis meriti,
Quòd, nec cogitantes in Vestram laborâssent Tiaram!

Acutum & subtile malum Ambitio

Jnterdictum dehinc sibi nouerit isthoc Capite.
Satis fuerit, *Superbissimo Plantarum Frutici*
Semel regnâsse in Vertice NAZAREI.
Deuter. 36. Cornutam instar Mosis faciem vt non gerat,
Gerit Cornua in Apice Infulato,
Jnflatum turgentis Arrogantiæ expuncturus Fastum.

Heus & Tu

Gemmarum quàm DEI peritior Ora Piscaria,
Expiscandis Vnionibus, ne nimiùm insuda:
Compactum Stellis, Compunctum Spinis Caput
(Sanguinolento colliquescens tabo)
Sponso in Infulam, Sponsæ in Cydarim
Erythreis cariores, exstillauit gemmas.
Nolim te & Byssino solicitam de Vestimento:
Byssum illi Candidam Suus concinnat Color,
Hoc est: Patritius Gentis Candor
Antiquæ Probitatis à Sanguine, inditus illitusq;.

IX.

ANNVLVM PONTIFICALIS OFFICII DE MANV CONSECRANTIS ACCIPIT.

Restat, vnicè Coronanda Auro Manus
Quam Sacro-Athleticus iam perunxit Liquor.
Expor-

Exporrige Digitum capiendæ Æternitati,
Cui vel ipso Annuli circulo prælusisti.
Ferat Vocale in digitis Horologium
Quintus numero, primus Gloriâ Cæsar Carolus!
Agendi Spatia temporibus distinguat;
Multò facilius: *Tempori facturus pretium*,
Quàm Rotas Fortunæ, suo inflexurus arbitrio.

Vt vt cesserit

Operosæ Artis admirabile Opificium,
Jn Tui Comparationem ANNVLI non Veniet,
Toto Orbis ambitu Æternitatem præferentis.

Cui & Tu

*MVLTOS Victurus AD ANNOS (*Formula Pontificalis.)
Hoc perennitatis Pronubo, Hoc Sponsore
HAS SVB-ARRHATVS AD ARAS

Destinaris Deuouerisque

Et Superis & VOCE TVBÆ *Clangentibus Astris.* (* Ps 46.)
QVO Te Felicitatis Calculo insignïueris
Fortunatissime Inauguratorum NEO-PONTIFEX?

Ad Cuius Triumphalia Sponsionis

Princeps Triumphantis Bellantisq; Sponsæ Arbiter (Consecratur Die Dedicat. Basilicæ Saluator.)
Dedicatâ Basilicâ adesse voluit & præesse.

Ratæ Fidei Signaculum

Redditurus Ipse Fixius, è CLAVORVM FIXVRA. (Ioan: 20.)
Polycrateo, Tuum non Consigno Diem Annulo
Vel eò, quòd nimiâ temperatus Fortunæ manu
Etsi nollet: non posset non esse Felix!

Idem ipse

Fauentis Deæ Mancipium Polycrates,
Experturus: An inter Exempla Infelicium esse posset
Jacto in Mare Annulo, Heræ constantiam explorauit;

Sed

Auarum alioqui Elementum, *gemmam reddidit (* In pisce capto.)
Quam infelix Felicitas fabricâsset.

C Placet

Placet Pyrrhi Annulus vel ex eo:
Quòd, *Doctarum Frontium* cœlaturâ insignis
Chorum cum Apolline, (*Musica Canoraque Numina*)
Pausan. Miro Naturæ artificio adumbrârit.
Sculpendis cælandisque Tuis Dotibus
* *Apoc: 17.* Nulla (*Si Cœli* * *Margaritas excipis*) Gemma sat est!
Vniuersale quoddam Bonum est, Tuus Honor,
Æquâ sui partitione: Summos complexus & imos
* *Apollinis.* Sceptrum & Plectrum * Delphicum non excludit.
Tanta ei, Admissionum è Vestigio Facilitas!
Magnis Mentibus & Deo-Homini, confine est:
CRESCERE PER DESCENSVM.
Jactet Scriba Claudij Imperatoris:
Vnâ à se Bonos Principes Conscribendos gemmâ;
Prò!
Aut infecunda Virtutum sæcula
Aut fecundam nimis, *non se tenentis Linguæ*, Venam.
Scilicet Tuæ Te caperet Luceoriæ, gemma?
Quem nec Suo, Polonia circumscripsit Orbe,
Extra Patriam, non extra Te consistenti
Roma, Publicæ Lucis Hospitium,
Ad Rakocium. Transsyluania, Legato Principis, par Gloriæ theatrum dedit!
Fluctuantem in Turbido Reip. Nauem
Iniectâ Consilij Manu subducturo in Siccum,
Si Aiacem, præceps animi audîsset Vlysses.

X.

ALLVSIO AD DOMESTICA PRAZMOVIANÆ FAMILIÆ INSIGNIA.

Etiamne
Musis ad Gratiam: Phœbo ad Gloriam

In

In Insula Bicorni
Bicipitem fert Parnassum?
ITA EST
Amat Literatos, Omni Literaturæ genere instructissimus!
Effert supra Caput Literas,
Quarum Officio, & Beneficio
Vltra Sidera efferendus, Curiæ illatus est.
Habet Memoriæ Fastos & Carmen,
Quisquis Fastis & Carmine digna gerit. Claudianus.
Ast, & Pegasus
Aliquid Sui Tuo recognoscit in Stemmate:
Cedit Marti *GLADIVM
Sibi *SOLEAS iure suo vsurpat: *Insignia Consecrati.
Non temerè iam SONIPES dicendus,
Ex quo: Sonora ad Posteritatem,
Solida ad Famam,
Duratura ad Perpetuitatem,
PRAZMOVIÆ DOMVS DECORA
GLADIVM ET SOLEAS
Solo & Cœlo fixerit.
Adiecto Lemmate:
Stringere Romanâ pro Libertate MVCRONEM,
Et †SOLEIS *Triplicare Suæ Vestigia Laudis,* †Tres Soleæ Gentilitiæ.
Eximium est, Polonum est
PRAZMOVIANVM EST.

XI.

PANES ET VINVM CONSECRATORI AB ELECTO VNCTOQ;, RITE OBLATA, SVPERADDITIS VTRIVSQVE ANTISTITVM INSIGNIBVS.

Sæcula & Personas interire, euenta causasque recurrere, Strada.
Sacris alibi vtriusq; instrumenti Tabulis,

Hîc Romani ritûs înstruimur præscripto:
* Papæ Ex vetere Instituto Romani *MELCHIADIS
† Genes: 14 †MELCHISEDECI Regalia Donatiua
PONTIFICVM CONSECRATORIBVS
Honorarium esse cæperunt!
Honoratissima Auspicatæ Solennitatis Appendix.
Statuti in Causas inquirere, cui libet, licet:
Sterile aut infirmum Inaugurationis decus ne esset,
PANE ET VINO
Marci 11. E MENSA DIVITIS huc illato, stabilitur.
Quorum alterum Corroborando
Ps. 103. Alterum Hilarando Homini subigitur.
Nihil eo vtilius ad vsum, nil opportunius ad Mysterium:
Humanæ Societatis Vinculum,
Hoc Adminiculo coalescit.
EX VTILI ET DECORO
Constare Celebritatem Tui Actûs in confesso est,
Oraculum ausculta.
Zach: 9. *Quid Bonum eius est? & quid Pulchrum eius?*
NISI FRVMENTVM ELECTORVM,
ET VINVM GERMINANS VIRGINES.
Tota Boni & Pulchri Ratio hîc exsorpta!
An quidquam Augustius Lautiusué
Suo promeret INAVGVRATORI ELECTVS
ELECTORVM FRVMENTO?
Aut propinaret generosius
VINO in Pudicitiam GERMINANTE?
Hoc in Epulum, Hoc in Poculum
Diuina Humanaq; Cupediarũ Opsonia coacta sunt!
Jdem Conuiua, idem Cibus, HOMO-DEVS
(*Jn suprema quondam Accubatione Cœnaculi*)
Extra PANEM ET VINVM
Quod Epulantibus apponeret, DEo dignum,
non inuenit!

Con-

Consumptū hîc, exhaustūq; Diuinitatis Prōptuariū!
Næ ille mihi ad Propositum dixerit:
Qui Duos, è Propositis modò Panibus,
PANES PROPOSITIONIS legitimè nuncupârit *Leu: 21.*
Flagrantibus adhuc Sacris recentes calentesq;;
Nisi fortè ex Domini Fragmentis agmentatos credas?

TAMETSI

Quòd ET PANES FACIERVM,
Apposité (*ad Expositos inpræsentiarum*) dici posse
E *Purpurati Dalmatæ Scito liquet. **S. Hier.*

Vel eo (nisi fallor) nomine:

Quòd bino PONTIFICVM STEMMATE inaurentur.
Nobilitatum Insignia: *Maiorum esse Facies* *Neoter.*
Tam verè quàm argutè pronuntiatum
Non magis Ora Vultusq;, Homines ab inuicem
Quàm Ceræ & Stem̄ata Genus Virtutēq; distinguūt.
CERNE & æstima CONSVLTISSIME SACRATOR
Eâdem à Te INAVGVRATIONIS Operâ
Simul NEO-PONTIFICEM, simul Basilicæ Ædes istas
In OPIS & PACIS Titulum dedicasse!
Non tam ex Oblatæ CERERIS & *LIBERI libamēto **pro vino sumitur.*
Quàm collatis cum CONSECRATO Insignibus
Animisque.

Jn tantum: **Bonæ Magnorum Mentes**
Ipsis Familiarum Tesseris
Ad Familiaris iura Amicitiæ citantur!

Sed (*ad Panum Propositionem digreßione reuocatâ*)
Absit, Panes vt Laicos hîc putauerint,
Quibus æquè Sacra ac profana tractantibus
Jn abdita *Abimelechi rimari mos & Fas, ** 1. Regum 21.*
Natis non frangere Panem Sacerdotio sed auferre.
Fatale Macedonico Militi fecêre Omen
Visi Panes, introrsum Sanguine rubescentes! *Curtius*

ET

ETHOS

Actor:1. *Ager Sanguinis Iusti*, iniusto empti
Sacrâ initiatis Militiâ in Commeatum produxit!
Jllis *Venditi Magistri* è Noualib⁹ prouenit hæc Annona!
S. August. Ex granis & acinis cõfluetibus in vnum Jn alimoniam & Symbolum *CONCORDIæ
ex vtroque conflatæ.
Verumtamen:
Sobriæ Hilaritatis è Sacro Cratere
Profana haud libauerit Temulentia;
Genes:9. E Nöeticæ Plantationis vuâ biberint,
Bacchi Hederam Adorantes Arioli.
Matt.23 De *Genimine Vitis Nazareticæ* pressus Liquor
Lucæ 5. *Nouos* noui vsûs defluxit *in Vtres*.
Pura isthæc *Sinceritatis Azyma* & Sicera
Jnsinceris Animæ cöacescit in Vasis.
Errem: Nisi PANIS & VINI Traditio
Deditionis hîc Te Tuæ arguit
Expugnate Subacteque PRÆSVL.
Circumsesso Votis & Studijs Applaudentium
Velis nolis succumbere necessum est.
Apponat Conuiuantibus Otto Vitellius
Sueton. Laboratos Auro, ad pompam exquisiti luxûs, Panes
Aut frugi Hominem oportere esse (dictitans) *aut Cæsarem*.
Ipse ex Neutro Imperator
Tam oblitus Maiestatis, quàm Frugalitatis im̃emor,
Ab vtroq; se non remouit extremo.
Ohe: Submouete Mensam & Donaria
Ædilis Curulisq; præfecturæ Custodes.
Non iactantiæ aut Necessitatis hæc Largitio
Sed Ritûs est.
Duos in præsens Panes
Plures alios aliàs, nec Rogantibus erogaturus;
Vt qui in Nomen & genium NICOLAI trãsierit
Eius se ad Exemplum & Manum, componat.

XII.

XII.

FACES BINAS ACCENSAS INAVGVRANTI OFFERT CONSECRATVS.

AN,

Et FACEM Ceræ Virginis
Caſtis adhibet Cæremonijs VNCTVS DOMINI?
Hoc quidem eſt: *Suo Facem præferre Honori.*
Hiſce Funalibus auctus dies
Tua Conſerenat HILARIA.
Illuſtre Hoc Vigilantiæ * Emblema, *Fax Vigilantiæ. Symbolũ.
Ferit animas, molli torpentes in pluma.
Tota quibus dormitur Hyems, dormitur & Æſtas;
Tanta illis cum *Conſanguineo Lethi Somno*, propinquitas!
In caſſum †Cynicus Faculam accenderit, †Diogenes
Per abrupta vitiorum ruentibus in præceps.
Ducant ſui Exitûs pompam, noſtri temporis
Noctilucæ;
Noctis & Lucis Ordinem præpoſterè confundant,
Tam Solis impatientes, quàm ignari Auroræ.
Operoſis hîc Cauſarum Monimentis
Horarum diſtinguuntur Momenta:
Antelucanis Curarum Excubijs vigil Curia
Plus Ceræ, quàm Siceræ abſumpſit.
Exequiarum Lugubria mortuales agat ad Cereos Seneca.
Suo funeri & dedecori ſuperſtes Amentia,
Nihil Tuo cum fatuis Ignibus Sacrificio.
Procede Auguratò vt cæpiſti, ad Summa.
Inextincta, *Lucentis Ardentisq; Fidei* Vadimonia,
Hoc eſt: Geminam in Amicas Manus trade Facem;
Jllarum vnâ pyram Hæreſi,
Alterâ rogum Schiſmati ſuccenſurus:
JTA FAXIT
Conſummans Omnia
ET CONSVMENS IGNIS. Deut: 4.

GRATVLATIO PANEGYRICA.

DEdicatâ Honori Tuo Basilicâ ILLVSTRISS: & REVERENDISSIME ANTISTES, restat, vt & Vocem in vota consecres dedicesque, alteri gentis nostræ Traiano; vt, quæ in proximo est, Ordinatissima Comitiorum Celebritas, benè ac feliciter eueniat: *Vtque Omnia quæ facit, quæq; faciet, prosperè cedant, Illi, Reip: & Nobis; Vel si breuiùs sit optandum: Vt Vni Illi, in quo & Respubl. & Nos sumus.* Constet acclamationi Nostræ veritas, quam nulla adornauerit assẽtatio, nulla extorserit necessitas: REX IN ÆTERNVM VIVE. Decet enim Inauguratum recèns Pontificem (ne quid non ritè fiat) à faustis comprecationibus auspicari. Ecquid autem, vel ad mẽtem Reipubl. conuenientiùs, vel ad Vota Ciuium optabiliùs precari fas, quàm longam Indulgentissimo Principi ætatem, bellis & victorijs, regnandi tempora distinguẽti. An vllum ex eius annis reperias, non aut bellicis expeditionibus memorabilem? aut militaris gloriæ commentarijs non insignem? Irrequieta, hoc est cœlestis Regum indoles, irremissis boni publici circumagitur momentis. Ita perpetuus quidam illis ad beneficentiam motus inest! vt in cœli naturam, siderũque ingenium transisse videantur. Senatoriam Drusi querelam audijmus: *Sibi, nec puero vllas vnquam ferias obtigisse, nedum Viro;* quum prætextam pueritiæ, anticipatâ virilis Togæ firmitate, onerâsset potiùs quàm ornâsset. Præcox restituendi imperij desiderium, festinata hæc illi ætatum discrimina induxit cõfuditque. Quantò id veriùs pro Te queri Patria potuisset, Regum Actuosissime, cui idem propè, regnorum primus, qui bellorum annus, quietis & otij interualla, strepentibus circũquaq; armis abrupit. Aliena meditanti anxiè trophæa Themistocli, somnos aliquando excussêre. Quid si eidem, non trophæa sed prælia, non triumphi sed bella Miltiadis per quietem occurrissent? Tibi Principum Vigilantissimo, non imaginaria somnianti sed gerenti bella, tuendæ ornandæque Rei-

publ.

publ. insomnes imperauit curas, solus liber ac dominationis impatiens amor Patriæ, Tuo securè conquiescentis in sinu. Vt mihi identidem ad augusta Regiæ Inaugurationis Tuæ Auspicia, cogitatione recurrenti, non tam ex ritu porrectus, quàm arcanâ fatorum potestate traditus, videatur GLADIVS, nec in eam vsque diem, suæ redditus Vaginæ; præmonente iam tum Fortunâ: nec Te hostibus defuturum, nec Tibi hostes, in istam districti Ensis aciem, temerè, at non impunè incursantes. Quò me autem transuersum rapit impetus, auersumque à Pontifice ad Principem, à Basilica ad Regiam, ab Aris ad Solium? nisi quòd & hîc Aram Clementiæ supplex habeat, cæteri Cortinam & Oraculum ac Delubrum, Vicariâ Numinis Potestate insessum! Et quanquam indecorum haud foret, Tuis laudibus Tui Principis præconia miscere, quo cum & Curas miscueris; eius inquam Principis, cui cùm nihil ad augendum Solij fastigium supersit, securus vbique Magnitudinis suæ, inumbrari non potest. Auctoritatem Ciuibus non adimit, addit etiam de suâ. Suorum decora sua ducit. Scit enim ornari se, dum ornat. Gauisus admoueri grandioribus Aris PRÆSVLES, quos ipsemet legisset: initiari Sacrorum Præsides & Custodes, eòque propagari Religionis patrocinium, Vera regnorum firmamenta. Habent hoc quidem liberale atque eximium Principes, quòd NIHIL COGANTVR; Noster attamen, suo imperâsse genio videri possit, ne quid fouendis ornandisq; Ciuibus pernegaret; sibi ea se indulgere persuasus, quæ Suorum commodis indulsisset. Detestatus infame sæculis & nomen & effatum, quinti ab Augusto Imperatoris: *Hoc agamus; ne quis quicquam habeat.* Sapuisset credo meliùs, tam benefici Numinis elimatus Magisterio, potiùsq; (versâ mente) contendisset: Hoc agendum Bono Principi: ne quis egere posset, aut Famæ, aut Fortunæ. Redeo tamen ad orbitam Orationis, meq; refero in gradum, modò Initiatæ Dignitatis.

Vna hæc ad Tuæ incrementum Gloriæ, fieri poterat accessio, vt Honor Honore cresceret, Dignitas dignitate cumulatior proueniret. Superadditum Sacerdotio Pôtificium,

 aucta

aucta est Potestas potestate. Euolue, Apostolici Nominis congeminatas Literas: prome Oracula, exhibe Priuilegia, DEO secundæ Authoritatis. En vt omnia Tuis contemperata virtutibus! (habet enim & Virtus suos numeros) Omnia Tuis Moribus consona, tenori vitæ, modulatè respondet. Jamque ille, si non hominum, at Fatorum torrens, Tuæ nuper, nec quicquam obstrepens aduersansque cymbæ, (quò seriùs destinatæ mentis promontorium teneres) cedit ad extremum, & velis obsecundat, exaggeratæ felicitatis Tuæ ceu absorptus in portu. Hoc celeusma enauiganti Modestiæ Tuæ, hoc Perseuerantiæ præmium debebatur. Redit ad Te quasi postliminio prima Vaticanæ Prærogatiua Facultatis; redeunt primæ ab Vrbe Gratiæ, quantumvis cum Xenocrate, Gratijs non litâsses. Adest idem ius, idem splendor insignium, qui ante, idem Romanæ auctoramentum Curiæ quod ante, idem stylus qui ante; Nam & virtuti Tuæ eadem facies, idem color, quò in omni fortunæ positione idem semper, nunquam non Tuus, Tibique innixus videare. Tanta, Supremo Sacrorum Antisti ALEXANDRO VII. integritatis Tuæ fiducia, tanta Moderationis inerat æstimatio, vt non ambigeret, Te saluâ diligentiæ Tuæ ratione fuisse facturum (idque in Tui gratiam) quod ineluctabili temporum calamitate, ne confieri decorè potuerit, dispunctum est. Expectatum est itaq; tempus, quo liqueret, non iam Te fasces ambijsse Pontificios, sed tantisper fugisse, dum tranquillior rerum vultus, reductâ paulatim serenitate, Latinorum maiestati rituum, quoquo modo responderet. Rectè ô PRÆSVL prouidenterque, præraрidæ aliorum festinationi, temporariam cunctationem prætulisti. Consecutus insigni hoc Potestatis Tuæ temperamento, vt Dignitates à Te non supercilio territæ, sed vltrò manu missæ, admitti ad Te rursus exambiant, Tuis rursum tractari manibus, Tuâ iterum splendescere in Aula, Tuo iterum ex nutu & arbitrio pendere allaborent. Quare ego illum ipsum obicem moramque Tuis consilijs, nostris gaudijs interpositam extitisse reor, quia diuturnâ annorum, votorumque pugnâ, (quippè & gaudio sua vis inest) Modestiæ Tuæ Verecundia.

dia oppugnanda vincendaq; erat. *Ac sicut Maris Cœliq; temperiem* (ait ille) *turbines tempestatesq; commendant;* ita ad augendam Initiationis Tuæ gratiã, nimbum illum præcessisse crediderim. Enascentibus (vt mortalium ferunt vices) inter secunda aduersis. Præterquam quòd,

Inuidiæ plerumque patent, quæ vertice toto
Excessêre solum, Solio Iouis addita.

Id agentibus vt opinor Superis; quò solito maior & augustior, etiam non quæsitis Honoribus occursares. Quid enim? Sacras tum procurares cæremonias? Emerito Honori solennitatem adderes? paludamentum & purpuram, suos explicares in sinus? etiamnum Patriâ, suis se inuoluente ærumnis. Infulam capiti circumponeres? Regio diademate, necdum firmiter stabilito. Pastorali manum scipione impleres? regni sceptro, inter hostilia ventorum, stipulæ instar aut calami nutante adhuc. Annulum ratæ fidei sponsorem indueres? Rege & Regno, arctioris fortunæ ferreum annulum præferente. Tunc denique sancitæ decretæq; dignitatis Tuæ ius reposceres? cùm Te alius circumstaret labor, aliæ Te aliò auocarent Curæ, quibus Reipubl. salus, pax, securitas, legum tutela, ceu Atlante, sed extra fabulas, niterentur. Vidit hoc, quid autem non videret, pro ea quâ Orbem temperat, prouidentia Regum oculatissimus, quum Te vnicum præsensque auxilium rebus fessis adsumpsit, delatâ ad Te signatoriâ Regni gemmâ. Scitum nempè est: Magna negotia magnis egere adiutoribus. Et verò, Te tanto non imparem muneri satis ad vota expectantium, abundè ad gloriam decusq; Polono Nomini suffecisse, ille ignorauerit, cui ignota apud Dantiscum, Oliuensis Cænobij ascetico in recessu, frequens illa Paciscentium Corona, an Comitium illud illustre, maiorum gentium ac Principum Oratoribus Arbitrisque adornatum. Frigere scena illa, toto latè Balthico protensa, quî potuerit? tot Actoribus referta, tot spectatoribus circumsessa. Vidissem Te vtinam ex proximo, audissemq; in Ciuico illo eruditæ Trãsactionis theatro, dum succinctæ rebus Orationi, gestum, oculos, vocem manumque commodares, dictionis elegantiâ omnes

Co-

Comitatis numeros obeunte! Ecquæ illa agēdi grauitas, quæ dicendi, sæpè extemporalis Copia, & acumen? quæ celeritas agitatæ mentis, in subita sese porrigens? qui sermo in sententias non coactus, sed totâ se libertate deuoluens! Age porro: quàm inaffectata verborum sinceritas, quæ asseueratio in voce, quæ in vultu affirmatio! quàm in expedito consilia, quàm solers coniectandi vis, quàm felix ambigua interpretādi facilitas, felicitas explanandi? Quæ deinde experientia, vsu valida, quæ ratio disceptandi, quæ alloquendi Vrbanitas, quæ responsa, ad leges prudentiæ castigata? promptum deniq; ingenium, & ille mentis vigor in ardua experrectus, non absque auctoritate, Humanitatis officio delinita. Prorsus Diuinæ capacitatis est, hæc tam dissita, tam seposita, tam coniunctè, tam dilucidè, incredibili comprehensione in animum demittere, partium studijs intercedere, immodica poscentibus modum ponere, cedere in loco vt altiùs assurgatur, infectumque mox reddere, quidquid fieri non oportuerit; adhibitâ custode rerum memoriâ, quæ in seuero illo dimicantium conflictu rationum, censoriam arbitrantibus venēre in lancem. Hoc demùm est, suppositos incedere per ignes, hic labor, hoc opus est, plenum aleæ, plenum periculi & palæstræ.

Debemus Principi Prouidentissimo Pacis tempora quibus fruimur, ille consulit; debemus iuxtà sapientissimo Senatûs-Consulto, Tibiq; ante alios, præsentem quietis malaciam, Tuis conflatam Consilijs, prouisu, cautionibus comunitam; dummodò *Fortuitorum capacissimo in mari*, quaterna illa Ventorum regna Regesq; totidem, æternis pactionum tabulis innixi consopitique acquiescant.

At non intra hos publicæ vtilitatis fines, Tua stetit industria, Vir in omnem demerendæ Patriæ occasionem intentissime. Alteram Te prouocant in arenam, armatæ iratæque, malè fœderati Exercitûs legiones. Quantò iucundiùs Tibi, quantòque expeditiùs, in pacato illo (vt dicebam) Oliuensiū Asceterio (non inani iam OLIVÆ Vocabulo) pacis oleas decerpere, pacis instrumentum condere, inq; publicas fœderum sanctiones referre, pactā ratamq; animorum armorumq; socie-

societatem, quàm in domestica Militaris odij tela incurrere, nisi Te fata Patriæ in eum quoque scopulum impegissent. Quæ tum illa fuit rerum facies, quàm visu fœda quàm animo execrabilis! Diminuta Principis Veneratio! circumscripta Maiestas, posthabita Senatûs auctoritas, oppressæ Nobilitatis prærogatiuæ, eiurata Ducum obedientia; quodque his multò acerbius: spreta Religio, vexata Sacerdotia, occupatæ Ecclesiarum fortunæ, direptæ facultates, abacta iumentorum armenta, res familiaris pessumdata, fugati agrestes, Coloniæ dissipatæ! Taceo insessa Regalia, exhaustas Oeconomias, adempta Portoria, iniquissimâ prætensione auctoritatis Vsurpatæ. Ita illis nihil sanctum, aut immune, nihil intactum, nihil vetitum! Exlex illa obsequij detrectatio, non metu Legum, non Regis reuerentiâ, non pudore suo componebatur: prælicēter quidlibet agere, præse omnes coaspernari, se circūspicere, nihil non sibi deberi, suo sibi arbitratu soluere, ex vsu iam habebat. Religiosam enimverò sectam hominum, commentitio ridiculæ Pietatis *Vinculo Colligatam!* Nam, & anguibus natura pulchrum tegmen indidit, quo sua dissimulent venena. Quid deinde? ô rem posteritati detestandam! Sanctum illud ac Ciuile bonum Amicitia, propèmodum extincta, interceptis per viarum insidias literarum arcanis. Reseratæ priuatorum syngraphæ, patefacta quæ minimè deberent, erepta absentes alloquendi facultas. Hoc quidem erat: humanitatem è medio hominum tollere, nec barbaris violatam. Vsqueadeò in Libera si quæ vspiam Republ. de securitate scribēdarum periclitati, excideramus Libertate, amicissimos quosq; eminùs conueniendi, sensa pectorum cōmunicandi. Et hi tamen ipsi, tunc se maximè tutores, vindicesque Libertatis, specioso ad iactantiam titulo profitebantur, cùm vel maximè Libertatem vi & armis, officiosè præfocarent. Ac, ne vltra omnem audaciæ lineam euagati sæuirēt extra leges, lectis properè per turmas & Ordines, manu linguâque promptioribus, placuit bellicos creari Magistratus, qui Præsidentibus assiderent, qui lites & causas componerent, cogerent militariter circulos, adessent judicijs aut præessent, ius dicerent; de salute de

Capite priuatorum censerent, supplicio addicerent, sontes æquè insontesque plecterent, nullâ defensionis, nullâ appellādi Maiestatem, nullâ intercedendi copiâ pereuntibus constitutâ! Cæteri quibus plus fidei in Principem, stupore attoniti metuque, (constantissimos etiam percellente,) mutam illam ac sedentariam assentiendi necessitatem, quo cum dolore animi, quo cum totiûs horrore corporis perpessi sunt! Sic in eo, sibi inuicem coniurātium an peierantium tumultu, his probantibus, quæ sanxissent, illis inconditè reclamantibus, *Ferri* violenta *potestas, confudit ius omne manu!* Scilicet in tanto nationum discrimine, Nexuq; Fœderatorum, ij supplicē Patriam, manusque tendentem curarent? quibus vt translatitium ingenium, & statio incerti Martis, ita nusquam & vbique Patria, auro argentoque inter stipendia venalis. Quid hîc ageres, immò quid ex munere Tuo non ageres, erectâ in arduis animi eminentiâ? Quò te verteres, aut quò non verteres, auersurus vel euersurus exitiales regno turbas, palàm in Principem obnitentes? Telum è visceribus Patriæ lentâ molliq; tractatione extrahendum, Tuæ Opis artificium implorabat, in primis: mentem & manum adhiberes, hoc est: notâ suetâque fandi scribendiq; dexteritate, iratos flecteres, exarmares armatos: *Viderent etiam atque etiam, quid molirentur, quò tenderent, quò spectarent? Meminissent: improuidæ defectionis comitem fieri pœnitentiam. Redirent in gratiam cum Republ. cuius non alium fore statum fortunamq; intelligerent, nisi quam ipsi fecissent. Cordi esse Parenti Patriæ, quid proximo, quid superiore anno egerint, tulerintq; quantùm sanguinis Martiali in campo integritati ac Saluti omnium Ordinum propinarînt. Probè nosse Regem Bellicosissimum, quæ palmaris victoriæ trophæa,* SZEREMETANA *ad Czudnouum è clade statuerint, perexiguâ (sed numerum supplente) virtutis manu; cæso deletoq; superbissimi Hostis exercitu, Fortitudine in fastos æternitatis abiturâ. Interim darent operam: ne, qui in Sago pulcherrimè effloruissent, fœdissimè obsolescant in Toga; & illas, multo cruoris impendio emptas Laureas, Ciuicasque suis sibi in manibus infringi patiantur. Turpe esse: Gladios tot palmarum messores, & adhuc hostili cæde stillantes, otio hebescere, torpere situ; studio armorum à manibus ad oculos, à labore ad voluptatem indignissimè traducto.* Magnificum contra, atque illustre: patrio more, patriâ virtute accinctos

cinctos, sine æmulo, sine exemplo, secum certare, secum, contendere, secum vincere. Quòdsi exempla Fortium poscerentur, illa præstò esse: in Fortissimo Lithuanici Ducatûs Cataphracto Equite, ad metas laudis bellicæ cursu effusissimo per depressa Moschorum capita euolante. Jrent igitur, aut præirent, secuturis Commilitonibus, collatis in vnum, Militiæ Corpus & animis & vexillis. Jrent inquam præliares animæ, & isthæc agendi tempora, belligerandi opportunitatem, certissimamq; Victoriam elabi, ne sinerent, seque rebus seruarent futuris. Jllic belli neruum, illic spolia, & manubias, illic gazam reconditæ supellectilis, & quæ illiûs oræ eximia, terris aut syluis continentur, reperturi, aut erepturi hostibus, non pœnitendâ Laudum Opumq; auctione. Cæterùm sua illos in integro manere stipendia, iure æquissimo exsoluenda Militi, lucis & vitæ vsuram, denis (vt aiunt) in diem assibus æstimanti. *Justa iustè peterent, neminem non eadem voliturum.* Darent modò aliquid egenti exhausto que ærario, darent Equestri Ordini, darent Ciuibus, darent sibi. Paciscerentur insuper breues admodùm inducias, dum reddita sibi Respubl. collecto in membra spiritu, dati acceptiq; secum ineat rationes. His Tu, oranti similior quàm hortanti, vel Pæno Militi iram ac telum eripere potuisses, nisi in malè auritam obstinatæ vecordiæ maleuolentiam incidisses; inde meritus indignationem, vnde gratiam debuisses. Frustra petitis à Decoro artibus, eos oppugnaueris, quibus vile quidlibet, quidquid inutile. Suadentem appositè Sapientiam in præcordia admitterent? qui humanioris literaturæ gustum corruperint, fastidio arrogantiæ. Cessit Ciuilis Eloquentia, militari licentiæ, cessit comitas conuitio, maledicentiæ taciturnitas triumphalis. Tuo in rem accinente Sarbieuio;

Ad prima quisquis vulnera non gemit,
Solo peregit Bella Silentio.

Te enim mirer magis, an istorum improbem petulantiam? Sacris æquè ac profanis infestam: sales insulsos, inficetas facetias, quibus, plerumque Regij Primores Ministerij

rij, inolitâ linguæ intemperantiâ, proterue carpere, in morem abijsset. Te intereà, Patriæ rebus irremissè intento, facileq; verborum contumelias inuerecundis auctoribus condonante; neque ignoro: *Priuata Odia publicis vtilitatibus remittenda.* Equidem cùm plurima operum sese efferant, pro quibus immortales Parenti Publico, agi gratias necesse sit; tum vel maximè, quòd solutâ lapsâque Castrorum disciplinâ, in statu pristinæ seueritatis constitutâ, hanc bellicæ impunitatis pestem, ex longa parendi dedignatione conflatam, tristi at salubri ad posteros exemplo effugauerit; Sibique in posterum & Ducibus militem reddiderit obsequentem. Tuæ adhibito Eloquentiæ classico, Eminentissimâ, vt est, Magnanimitate contestatus: Nolle se eos militantium in censu connumerari, quibus prona in seditionem audacia, nouandis quâlibet ex causâ rebus in promptu sit. Arma exuerent, qui iam ante amorem Patriæ exuissent. Castris actutum exessent pestilentes animæ, ne contagione latiùs grassante, ad cæteros idem virus perreptet. Perbenignè leniterq; agi secum existimarēt, quòd indeprecabile supplicium commeritis, impunè liceat hinc abire. Alia stipendia alibi quærerent, quibus plùs animi in Ciuem quàm in hostem. Mouendos è statione Martis, Martem linguâ, non manu profitentes. Domi duntaxat hospitibus metuendos, foris terrori hostibus haudquaquam futuros. Renuntiarent ilicò Regis Militiæ, qui suæ peruicaces malitiæ perdiu noluissent. Non se deinceps permissurum, vt *precaria Ducis anima inter infestos ferociter Milites trahatur.* Rationi consentaneum videri: mouendos bellico magistratu, qui Reipubl. Magistratibus extortâ facultate, ne quid salubriter in commune statuerent, intolerabili fastu, cominationibus, ac tantùm non ferro contraîssent. Maurorum tumultibus accederent, nati omnia per tumultum, atque insanos vociferantium clamores agitare. Habitos à se habendosque loco Hostium, quòd Hostilia in regni accolas exercuerint; multò promptiores, computata agrestium capita quàm Hostium censere. Haud dubiò scientiores iam, rei frumentariæ quàm

tor-

tormentariæ; quum plerisque illorum notiora essent colonorum horrea quàm tentoria. Eapropter renuntiarent Militiæ, futuri aptiores Oeconomicæ, cui spatium biennij impendissent, irreparabili dispendio prouinciarum, cis & vltra Borysthenem, miserè desciscentium ad Hostes, nostrâ infelicitate felices, nostrâ nos socordiâ, addo & discordiâ oppugnantes. Quin, & peccandi necessitatem ne obtenderent, liberâ ad partes Regias secessione, inuitati per exempla & vestigia meliorum, illud vnicè dolenterque sibi imputantium: quòd seriùs quàm Benignitas Lenissimi Principis postularet, ad ingenium obedientiæ redijssent. Porrò affinitate comunicati criminis, quoniã tueri se non possint, efferrent secum suas labes, nullo satis sanguine eluendas. *Excederent Castris, priuatim degeneres, in publicum exitiosi, nec spei quicquam, nisi per discordiam pollicentes. Sibi verò: Non aliud Militiæ leuamentum videri, quàm si certis in reliquum legibus ineatur.* Cæterùm par esse: militari notatos ignominiâ, in alias peregrinari terras, qui armorum decus, defectionis dedecore infamâssent. Saperent posthac exauctorati; ac suam cuique Ordini auctoritatem intactam illæsamq; haberent. Simul discerent militare ad leges Honesti, præsente dehonestamenti opprobrio mulctati. Scirent postremò: *Regibus latè Dominantibus, nec desituras bello, Prœliantium manus, nec defutura præmia bellatoribus.* Quamobrem discederent, quoquo vellent, audirentquè Pharsalicam Lucani tubam, Fœderato Cæsariani militis receptui canentem: L. 5. v. 323.

Vadite, meq; meis ad Bella relinquite Fatis:
Inuenient hæc Arma manus, Vobisq; repulsis
Tot reddet Fortuna Viros, quot tela vacabunt.

Eum itaque in morem Martialis animæ Princeps, fide & obsequio melioribus in gradu relictis, aut repositis: propiores culpæ, irreuocabili imperio (quòd vindicandæ Maiestatis interesset) amandauit. Quando (non tacendo Taciti iudicio) ne morbos quidem veteres & diu auctos, nisi per dura & aspera coercueris. Tuis Præsul Accuratissime, vt plurimùm conatibus, & vigilijs, Tuis cohortationibus & alloquijs, redijt sua Reipub. forma, Patribus Conscriptis veneratio

 ratio

ratio, Religioni immunitas, Pontificibus Honor, obseruantia Sacerdotio, Templis cultus, nitor Sacrarijs, pace redditâ, restitutus. Redeũte omnibus terrore & metu, & voto imperata faciendi. Corruit tandem illa Castrensis Contumaciæ arx, nouis obstinatè defensa Gigantibus (Jouem si possent detracturis in terras) Tuis aggressionibus & cuniculis expugnata, suis ruderibus insepulta; quibus aliquis inscribat Viator. *Discite Iustitiam domiti, & non temnere Reges.* Nec nos terret, malè olim vsurpatum truncatumque carmen. Luc. lib. 1. ỳ. 824.

Imminet Armorum rabies: Ferriq; Potestas
Confundet Ius Omne Manu: Scelerique Nefando
Nomen erit Virtus. Multosq; exibit in annos Hic furor!

Magnum quidem illud sæculo nostro dedecus, magnũ pectori vulnus impressum est! Respub. pænè capta inclusaq; ne se in vsus Ciuium comouere posset, ademptâ sentiendi, quæ vellet, & quæ sentiret dicendi Libertate! Ablata simul Mitissimo Principi seruandorum hominum Potestas! ereptumq; illud in principatu beatissimũ, quòd à nemine cogeretur. Si tamẽ hæc sola erat ratio, quæ Te, Regũ Animosissime ad Ciuilis mali curationẽ admoueret, propè est vt cum adoptati Principis præcone exclamem, tanti fuisse. *Corrupta est Disciplina Castrorum, vt Tu Corrector, Emendatorq; contingeres, inductum pessimum Exemplum, vt Optimum opponeretur.* Vnde autẽ optimum nisi ab Optimo peteretur? Quantum est, extinctam refouisse Militiam? refouit! Exsanguem & exanimem, animâsse? animauit! mores alios, alios sensus, naturam ferè aliam Stipendiarijs induxisse? induxit! antiquis instituti legibus adstrinxisse? adstrinxit! Et adhuc initiati à Se Exercitûs, renatam se Auctore fortitudinem, perarduâ in Russiam Expeditione non educeret? Viarum incommodis, locorumq; asperitatibus, *quibus Hominum quoq;* (teste Curtio) *durantur ingenia* non acueret? Non, Bellatrici Aquilæ pullos congeneres, Orientem exploraret, ad Solem? Non hodie primùm se Magistro didicit: *Inter Belli discrimina, Armorum Virorumq; faciendum esse discrimen.*

Quonam autem Tuo, an Poloniæ fato fieri dicam Candidate Antistes? vt necdum hîc etiam tempestiua Dedicandæ

dæ Vituti Tuæ eueniant Statiua? Perinde ac si vocem Publicæ Necessitatis accepisses: *Pacis Negotia, speciosiùs per Otium transigenda.* Reposito paulisper sepositoque Sacrarij apparatu, rei Viatoriæ instruenda supellex. In Hostico (sic astra monent) Principi, Principisque Sequacibus hyemandum. Abesse Te, à Tui Comitatu Principis, nec Tua sinit Pietas Fidesque, nec ratio permittit Ministerij, Curarum æquè Comitem ac Viarum. Cedat tantisper Neomenia (vt vocant) Tuba, Martialibus Classicorum sonis. Lustrandus latè Oriens, armorumque illustrandus fulgore: adeundæ Orientis Prouinciæ, nec magis pedibus, quàm laudibus peragrandæ. Exturbandum præsidijs, effugandum Castellis hostem, vindicandas Ciuium ditiones, arrogantissimi aggressoris ferociâ oppressas! Quin ipsos etiam Præsidiarios, Nostris Vrbibus atque arcibus hostiliter impositos, Polonæ aliquando fortitudinis, acri impressione admonendos. J sequere, Cordatissime ANTISTES Magnanimum Bellatorem, magnis passibus, vel vltra ferreas Chabri Columnas euadētem. Fuerit ante hac solenne *Terminos erigere, & stantibus Prouincias discernere Columnis. Profectò fallitur quisquis Terminos immensæ gloriæ, metitur spatio, quod transitur.* Juit alacer lætusque virtute Militum, eò arma inferens, quò nemo Principum, nemo Regum Poloniæ accessisset. Manu ille quàm nomine audacior Boleslaus AVDAX, expugnatâ quondam Chiouiâ, profligato Wschewoldi exercitu, non vltrà Borysthenem audendo progressus, perexiguis victoriam finibus circumscripsit; citeriori populatione famam colligēs & laureas, immani mox sæuitiâ & parricidio polluendas! Prima & Magna CASIMIRIS Nomina vt non adimo, ità vim remque Vocabuli istiûs, nullâ antecedentium iniuriâ, transfero ad hodiernum Jagellonici Sanguinis & Nominis CASIMIRVM. Inaccessa, & vel Audacissimis inausa, Tuis Ausibus, Tuis Accessibus & Successibus seruabantur. Tunc si aliàs Regum Gloriosissime, Fabricij & Scipiones, & Camilli, Tuis ad vitam reuocati exemplis Tuo in Exercitu conspecti sunt! Tamenné adhuc Militares Copiæ, sub Tanto Principalis Patientiæ exemplo non durarēt? non vltro citroq;

Tuà

Tua certatim ad Signa & Aquilas conuolarent? non piaculi loco ducerent (illi etiam qui principio reſtitâſſent) pedem referre? antecedentem non ſequi, non pericula iungere, non puluerem bellicum ſudoremque miſcere? Etſi autem *pleraque in Exercitu, Abſentium quoq; Regum Auſpicijs & Conſilijs, quàm telis & manibus gerantur*; Adeſſe Tu tamen malueras Tuo Agmini: ne iam Tuorum fides & induſtria, per internuntios & interpretes, ſed ab ipſo Te, nec iã auribus, ſed oculis probaretur. Quo quid feliciùs Tuo contingeret Militi vel ad præmium, vel ad decus? Quocirca, ruere in diſcrimina, obijci periculis, Vallum inſcendere, addere ſe aſſultantibus, ambire Ciuicas, mortes oppetere decoras, ſanguinem, vitam, ſpiritum denique Patriæ impendere, inter ludicra Militarium laxamenta curarum habuêre. Jtaq; (quod in ſuo Imperatore ſuſpexit Plin.) *Perinde Summis atq; Infimis Carus, ſic Principem Commilitonemq; miſcueras, vt ſtudium omnium laboremq; & tanquam Exactor intenderes, & tanquam Particeps Sociusq; releuares.* Et quoniam vna ſimplexq; bene merentium, & fortiter morientium conditio eſt, feres æquo animo, (vt cætera iſthic tuliſti) Præsvl Tolerantiſſime, Fortium Virorum decora Tuis addi, Tuaq; inter encomia memorari acta Militum, quorum ſpectator ipſe laudatorque exſtiteras, in illa Martis area: illis ſtantibus, alijs rem agentibus, his cadentibus cœlo teſte! Te interim (nam & hoc in Tuis laudibus ponitur) ſupremam exſpirantibus ferente opem, inſtante morientibus, atq; expeditum iter animæ comprecante; id quod à Tua non abhorreat Pietate. Nam quòd attinet Principem, Felicitati hoc Tuæ apponis, exornari illiûs Nomine paginam Tuo Nomini dicatam, admittiq; ad præconia, quem priùs in animum profundâ veneratione admiſiſſes.

Principium Ruſſico-Moſchouiticæ Expeditionis mirer, an finem? Magnum eſt perfrigidâ anni parte, rigeſcente brumâ, ſæuientibus vndequaq; ventis, militari ſub tecto perſeueraſſe! plùs tamen eſt, non timuiſſe, ne perſeuerare non poſſes; eò loci, vbi feræ gentes, non telis magis quàm ſuo cœlo, ſuo Sidere, ſuis moribus armantur. Perferente

te omnia, ſuperanteque Tuâ Tuorumq; alacritate. *Nec fuerant duri Tanto ſub Rege Labores* algoreſque, vt vel tunc omnibus oppugnati elementis diſcerent: Non eſſe molle Virtutis rudimentum. Exercitu Regio, nihil non Regiæ Fortitudini tribuente: ſeque ad tam ſublimis Tolerantiæ, humano auguſtius Exemplar fingente formanteque. Fuit dum priſcis Imperatoribus proſpexiſſe duntaxat caſtra, breuemq; militiam quaſi transîſſe contentis, (quum hoſtem vix eminùs vidiſſent) popularis adulatio immenſæ fortitudini gloriæque daret. Noſtro Bellorum Bellatorumque Experientiſſimo, à primis iam inde Pueritiæ confinijs, omne genus armorum callenti tractantiq; non paucorum menſium, ſed annorum in ſe redeuntium orbibus commenſa belli Gloria militauit. Inde vnicè demirandus, quòd etſi Triumphali Patre genitus, Fratri Victorioſiſſimo ſucceſſiſſet, tamen bella nec prouocat ex facili, nec timet. Eam ipſam Expeditionum difficillimam, eòque incomparabilem, haud aliter adornaturus; niſi quòd ſic è publicis Patriæ rationibus expediret Reipubl. intereſſet. Robur & florem Veterani Exercitûs, in vaſtiſſimos Camporum tractus importari fas erat, quò lacerum diſcerptumq; Regni Corpus, quàm citiſſimè coaleſceret. Accedit, quòd numeroſa illa multorum Capitum bellua, multis egeret manibus obtruncantium. *Parum namq; tuta eſt Maieſtas, ſine armis*, in tanta vel ruſtici Martis præfidentiâ. Niſi quòd vniûs oræ, non vniûs iræ populi, modò armis, modò ſolâ armorum oſtentatione ad obſequium & deditionem reuocandi. Præmittendum Vltricis Potentiæ Terrorem, ſed Fiduciæ excubijs circumſeptum. Inſerenda Faſcibus, Pacis Olea: Secures & Virgæ, Faſce Jagellonicæ Manſuetudinis prætexendæ. *Securitas mutuâ Securitate paſcenda eſt. Armis enim irritantur Arma.* Metus & Pauor odioſa ijs numina qui ſe peccaſſe meminerunt. Ponet nihilominùs quod extulit ſuperbè caput, Ruſtico-barbari furoris Hydra, non minùs in ſuas neces, quàm in laudes Regias hodieque fecundâ! Minùs iam timetur, Moſchouitici Draconis aſſumpta additaque monſtro facies, cùm illa ipſa vtriuſque populi conſociata perfidia, quouis portento

 im-

immanior, timeri desierit Nostro Militi, ex longa periclitandi assuetudine metum omnem periculorum exuenti. Nec iam ex vano creditur: Virtuti hoc Regiæ à primis bellorum tentamentis, prouisum Diuinitus irritamentum, vt illic Spei publicæ iactam anchoram fundaret, vbi primùm tyrannica peregrino-domesticæ tempestatis violentia, concussam Fortunæ nostræ prætoriam iactâsset. Nescio tamen, an aliàs luculentiùs, Natum se CONSTANTIA patefecerit? quàm cùm in medio Ciuilis procellæ turbido, fluctuante iam ac tantùm non absorptâ Reipubl Naue, Clauum semel prehensum constanter tenuisset; Te interim Principe Regni Ministro, Vela in omnem Necessitatis vsum scienter obliquante: excubantibus perpetuò in Senatoriam vigiliam oculis; ne nostræ Felicitatis Oneraria, latentis Discordiæ in scopulos deferretur. Sed recentioribus insistendum. Pertinebat enim ad Gloriam Laudatissimi Principis, frenatus traiectusque Borysthenes, ingentia tergo bella transmittens, non accolarum magis peruicaciâ, quàm Suâ ipsiûs Magnitudine formidabilis. Quid verò deinceps metuerent sequaces Copiæ, hoc Securitatis vnicum Sidus intuentes? An impedimentis rei bellicæ timerent? quibus tam planum expeditumque ad fortunam iter patesceret? Quantùm à Nostro dissimiles, qui *non Albani Lacus otium, Baianique torporem & silentium ferre; non pulsum saltem fragoremq; remorum perpeti poterant, quin ad singulos ictus, turpi formidine pallentes exhorrescerent.* Taceo superatas consilio paludes, transmissos amnes, emensa viarum aspera & confragosa. Non ingredior inextricabiles Hercyniæ syluæ Labyrinthos, cæcasq; horrentium dumetorum ambages, hostemque nota inter abdita syluarum occultantem sese, ne in solem & aciem prodire cogeretur. Feras diceres, non Milites, ita suis inclusi latibulis tenebantur. Non obscuro metu confessi: Polonorum se viribus & viris pares esse non posse. Profunda syluarum insederunt, egregij syluarum cultores custodesque; Veriti credo Stipites illi, ne quibus obtegebantur arbores, in Trophæa Currusque Triumphales, Victoribus cederent; Syluæ ipsæ in Lauros & Palmarum nemora repentè verteren-

rentur. Nihil ignauo stupori illi cum stratagemate Premislai nostratis, truncos arborum, militari commento obarmatos, Morauorum Exercitibus ad terrorem opponentis. Sic in Hostico quæsitus diu Hostis, pugnacibus Polonorum Copijs, sui copiam non fecit. Hoc ipso minor, quòd Præliaribus animis Campestrem belli Gloriam inuidisset. Nihil iam in Tua gesta, Fortunæ ac Tempori licebit, ex quo illam factis ingentibus, hoc, benè merendi perpetuitate subegisti. Jd planè est Posteritatis, immò Æternitatis negotium agere, Famamque Sibi, Heroico adoptionis iure, Heredem scribere, ad consequentis æui memoriam fastosque transmittendam. Horum aliquid si egissent otiosi Romanæ Purpuræ gestatores, quasi prolatis imperij limitibus, quos non sibi arcus & statuas? quas non Triumphi moles, & fastigijs Templorum altiores Titulos arrogarent, vrgerentq;, & quasi meruissent, putidè lætarentut; in perniciem Ciuium ire paratiores quàm in hostem.

Parum erat Nostro, PATRIS PATRIÆ Nomen (quod cæteri ab arrogantiâ, ipse à Moribus & Natura accepit) nouis in dies argumentis, memoriæ nostræ infixisse; nisi eundem hunc Ciuicæ Charitatis popularem Titulum, & rem Vlturus, oppressoribus Patriæ, vel extra Patriam ostentaret. An vllæ igitur, pro tam laboriosa & exercita statione PARENTI INTEGERRIMO referri Gratiæ pares possint? Jntelligimus iam, quàm æterno Annalium Honore dicari oporteat CONSERVATOREM SVI ORBIS, non tempori alienissimo, non Ætati, non Saluti parcentem Suæ! Laborem verò bellicum (credetne posteritas) inter Seriorum, auocamenta Operum reputantem!

Et poteras Tu quidem Regum Prouidentissime, fecisse isthic Felicius aliquid, nihil Sapientiùs cautiùsque, quàm quòd (Superis Comitantibus) desiderio reuocantis Patriæ rediturus à scena Martis, viuam spirantemque Fortitudinis Tuæ Jmaginem Tuo Militi reliquisti, vt sub oculis præstò esset mentis Regiæ Jdea, ad quam assiduò se componerent, inde

inde lineamenta transumerent, indè Spiritum vigoremque in se traherent, quò vt minimùm Tuæ absentiæ tædia persentiscerent. Deinde quòd Fidissimo iuxtâ Fortissimoq; STILICONI Tuo, immensa Gloriæ maria Nauiganti (vehentique alteriûs Fortunam Theodosij) Vicariam armorum Potestatem tradendam decreuisti, eâ prosperitate, eo euentu prouentuque, quem à Vetere Militiæ Magistro exspectari par erat. Ita Sortem Rotasq; Exercituum temperante, vt Regis imperia in opere exhibeat; VotaReipub. factis æquet, Commilitonum ingenia Victorijs acuat, *Bella Momentis constantia*, suo moderetur arbitrio, ne quid à se decretorijs Fatorum tabulis debeatur. Faxit Pacis Bellorumque Jmperator DEVS, vt, quam Suo Sibi nomine ominatur Coronam, eandem in Suorum Operum Coronidem, felici molitione aliquando transferat; igniarium Seruilis Iræ fomitem, tot annis iam fumantem durantemque in bella, rebelli perduellium sanguine restincturus. In reliquo: redeundum & Tibi PRÆSVL Nominatissime, Viarum indefesso, laborumq; impigro; neque tantùm cœli solique illiûs, sed & hostîs iniuriam iacturamque perpesso; redeundum inquam ad Cor Patriæ, cui Animum & Calamum, iam diu deuouisses, domi Militiæque vectigalem.

Sacris CASIMIRI JAGELLONIDÆ Vestigijs insistentes fortè per hyemem Aulicos, geluque torpentes, repentè incaluisse, fama est vel ipsis Templorum pauimentis inscripta. Quin te pariter Jagelloniæ Maiestatis Comitem Vigilemque, in austera quoque Orientis plaga Hybernantem, algere haud oportuit, tàm Contiguum Continuūq; Tuo Principi, Suæ Amore Patriæ vel inter algores conflagranti. Jllaturo denique (quæ Hostem debellaturis Votorum Sumā & caput erat) illaturo inquam suam barbaris hyemem; nisi solitò citiùs mutatis Anni vicibus, remisso frigore, tepescentibus lacunis, fatiscente glacie; dicamné, Militis Nostri vicino ardore solueretur Hyems Moschica, patrocinata Suorum trepidationi & latebræ Exercituum, vt nec elici è Syluis voluerint galeati lepores, nec Syluæ potuerint obsideri.

Eò

Eò hæc attinent à me paulò altiùs repetita, non quòd singula consecter, singulis vix æquanda voluminibus, sed vt palam constet, quàm illustre, quàm magnificum Tibi implicatissimis Reipubl. negotijs intento distentoque, capessendæ insignia Dignitatis Tuæ, ineuoluta huc vsque tenuisse! quia fruendum Honorem ante Salutem Patriæ non ponebas. Adeò Tibi erat vel merces non habere mercedem, vel Honor Honoribus caruisse; dum adhuc pressa ex Ciuico-Hostilibus armis Russia, scissili palliastro squaleret, Manum & ferrum Principis implorarct. Sufficiebat tunc Tibi, arcana Virtutis purpura, quæ ita Honoribus augetur, vt ipsa Honoribus altior, Honoribus lucem addat. Placet iam rimari in causas procrastinatæ Dignitatis. Etenim: Cessit Toga Armis, Ara Focis, cessêre Pontificis ornamenta, Reipubl. incrementis. Ne non ante impleres Infulas, quàm omnes Fidi Aulici numeros implêsses; priusque Summum Regni egisses Ministrum, quàm Pontificem. Egregius ille Comes Virtutis Honor, abesse à Tua aliquantùm voluit, sed vt tarditatem sublimitate compensaret. Neque enim diutiùs moratur Honoris palmam festinata Virtus.

Benè habet. Dilatæ hactenus Inaugurationi Tuæ, ipsa prorogati temporis impendia fecêre pretium! vt non ex vetere effato, sed Tuomet experimento compertum sit: *Magna Constare Interuallis*; adeòque suam & Honoribus inesse Ætatem, quâ lentè maturescant, ad feracem Meritorum Autumnum. Non magis enim inter Belli Negotia, & Triumphi Diem, quàm Laborem inter ac Præmia, spatium intercedere necesse est. Priuatorum atq; Egentium est: Citò ac perperam mereri, vt citò ac temerè potiarê. Generosis Mentibus, postquam in Suam Suorumque Spartam impensè laborâssent, stipendium penes Rectè-facti conscientiam. Honores nec à limine salutârunt, qui in occupandis Honoribus, celeritatis gratiam aucupantur. Audax atque inconsultum est: Exiguo ac pertenui Meritorum Viatico, ad arduam Honoris Prouinciam contendisse. Felicem ego Te

hoc nomine compellauerim PRÆSVL Moderatiſſime, cui ita naſci, ita educari contigerit, vt prælauta Honorum in Domo genitus, nec Fortunæ egeas de Tuo Fortunatus, nec ad Limina Honoris peregrinari opus habeas; cùm intra Domeſticos Penates, HONORIS ÆDEM reperias, longo Ætatum Senio Venerabilem & Sacram. Nec propterea tamen, ſitu Annorum obſoletam, quòd Gentilitio Vetuſtatis iure colitur ſemper, ſemel à Maioribus Dedicata Tuis. Sæcula & Anni non officiunt Virtuti. Tota illi ex antiquitate Gloria. Lucorum quoq; Senia, olim Cultui ac Venerationi fuêre. Veteres illi Romanorum (auctore Claudio Marcello) quòd negarent fas eſſe, VIRTVTEM atque HONOREM vno Templo, iiſdem Aris Fociſque Venerari, indiſcretis ſaltem parietibus colligarûnt; vt eſſet Cuſtos ad Honoris Cellam Virtus, neque Honoribus negaret aditum, quos ipſa faceret adeuntes. Genuinum PRAZMOVIANI Generis Virtutiſque Schema! è Domeſtico Recti Moris apparatu depromptum, nec tam coloribus, quàm animi Dotibus adumbratum. Non perinde enim Timanthis penicillo exprimitur, quod Moribus exaratur: effingitur Simulachris quod ſpirat in Actibus, mutis committitur paginis: quod linguis Omnium celebratur. Vbi enim illuſtrius aut perennius Virtuti cum Honore commercium? Vbi Meritorum Dignitatumque conſociatio luculentior? quàm in hoc perantiquæ Nobilitatis, Probitatiſque Domicilio? Hinc Senatorij Magiſtratus: Hinc Militaria Honorum Inſignia, Palatinæ Curules, Caſtellanij Splendores, Clauæ, Vexilla, Caſtrorum Faſces, Terrarum Præfecturæ, Tribunalitia Subſellia, Togatæ Armatæque Palladis Honoraria! Hi Primis Eccleſiarum admoti Aris, Jlli idonei Caſtris, Iſti Arcibus & Propugnaculis impoſiti; Jlli Prouinciarum Oratoribus adlecti; Factis & Faſtis, Maiorum Decora contutati, Minoribus tradidêre. Errare ad Maieſtatum Auguſtale non dabatur, quibus peruia Curiæ & Senaculi Limina Adytaque obtinentibus, ad Regiam & Solium iter SOLEÆ feciſſent Gentilitiæ, Regalis Beneuolentiæ Martiale pignus.

Cogi-

Cogitanti mihi, qualem quantumq; esse oporteret, Primum Intimioris Consilij Administrum, Cui non modò Pacis Belliqùe Momenta ad trutinam exigere; Molem Curiæ Suos ruentem in Humeros, indeflexâ excipere Ceruice, non modò nutus, ac Iussa Principis, verùm Sensa etiã, Cogitataq; propemodùm, solerter prænôsse, ne dicam imperata exequi cõcesũ sit. Tu ante alios memoriæ occurristi, quem à Paternâ Disciplina, primo Annorũ Tirocinio excultum, illustrior meliorq; Aulæ genius, altioris Prærogatiuæ Ministerio aptabat; donec currentibus immò indolem præcurrẽtibus Annis, quod tacitâ pollicebarê sponsione, præstares in Opere Curiali. Quantâ igitur Humani Diuinique Juris intelligentiâ eruditum? quantâ Patrij Codicis Legumque Ciuilium peritiâ instructum? quàm multiplici subitâque affluentem Eloquentiâ? ingenio præstantem, Prudentiâ præcautum, æui animique prædualidum esse conueniat? Cuius humeris inclinata recumbat Domus Publici Consilij, Oraculum Reipublicæ, Legum Conclaue, Lar Inclytæ Libertatis, Officina Gratiarũ. Tua hæc sunt Vir Consultissime, Senatoriæ mentis adminicula, vel si mauis Fulcimenta, quibus Maiestas Dominantium tutò incumbens Libera Solutaque Sibi tantùm vacet, postquam Te assumpsit, qui erga omne Hominum genus Vice suâ (nam nec Atlas sine Hercule) fungereris. Fungeris enim sufficisque Vnus omnibus, in tanto Negotiorum accessu recessuque, vt labore refici ac reparari videâre! Vt enim expetitis Procerum Honoribus deseruis! Vt Prouinciarum Desiderijs, vt Singularum etiam Ciuitatum (quod cum Optimo Romanorum Principe, commune Tibi) votis & precibus occurras! tam alacer, tamque erectus; *nulla vt in audiendo Difficultas, nulla in Respondendo mora aut fastidium intercedat. Statim adeunt, statimq; dimittuntur.* Videmus vt Curialibus exsolutus Curis, Principales è vestigio resumit! Vt reconliet æmulas Ciuitates, vt Iniquitatibus intercedit Magistratuum, pœnis Legum ad paucissimos, Metu ad omnes pertingente. Vt denique Causas Religionis, Quiritium Postulata, Supplicantium Codicillos, inter Suarum Otia Remissionum

num euoluit! Ne & Beneficio suo gratiam ex difficili conciliet, diesque ei omnis, summa cum vtilitate Reip., summâ cum laude Suâ condatur. Rectè Cœlestium æmulam Orbium nuncupaueris Aulam Studiosissimi Antistitis, & illa operosæ Mentis penetralia! Ita isthic suis omnia Temporibus ac momentis continenter librantur! Nisi quòd Antipodes procul habeat, qui ex Catonis animaduersione: nec Orientem vnquam viderint Solem, nec viderint Occidentem. Tanta illic diuidui Laboris obeundi consensio, in tam discorde argumento! Credas Apum examina certatim in commune melliti operis laborantia, Te Arbitro, Te Exactore: in tantum iam ipsas Quietis contrahente Horas, vt Frugalitatis & Parsimoniæ Commendationem Legesque, ad *Publicanum illum Mortalitatis Somnum* extensas esse volueris. Morem gesturus monenti Stoico: Circumscribendam esse Noctem, & aliquid decerpendum, quod ex illa in diem transferatur. *Virtutem non contingere Somniantibus: Discendam esse. Cuius hoc pretium est, nequaquam Pretio capi posse.* Pridem hæc Tu Literatissime NEO-PRÆSVL, non tàm ex Togati Sapientis monitu, quàm è Patriciæ Eruditionis Instituto hausisti; anxiè à Te ipso exigens, quod illi fuêre, qui Te solo Nascendi Ordine anteîssent. *Recurrit enim ad Similem Suorum Imaginem Præstantissima, quæq; Indoles, moribus non vultu referendam; & ad Maiorum Gloriæ imitationem, veluti quidam ad Solem Flores arcano rapiuntur ingenio.* Premis hodieq; impressa ad Exemplum Excellentissimi Parentis Tui Vestigia. In quo, nescias vtrùm maior fuerit Ciuilis Fortunæ Dignitas an Religio? Honoris præcellentia an Virtutis? O quæ illa Morum grauitas Comitati non officiens! quæ Loquendi elegantia! differendi Acumen, Maiestatis Veneratio; cæteraq; Senatorij Cultûs Decora, Illibatæ semper Fidei Calculo consignata. Quod enim Comitium? qui Procerum Conuentus, in exitium vel exilium Hæreseos coactus? Cui Auita PRAZMOVIORVM Pietas, non adfuerit, non voce, non suffragio, non manu præiuerit? arcendæ non assenserit, proscribendæ non subscripserit? Quàm Honorificum Tibi Tuisque! etiamnum in reconditis Vetustissimæ

Memo-

Memoriæ Diplomatis, circumferri Veſtra Nomina, Sectæ Diſſidentium Degeneri inimica. Jllud Contumaciæ Rudimentum, quà Terreſtribus Notariorum Sigillis preſſum oppreſſumq;, quà Caſtrenſis Curiæ calamis punctum expunctumque abſceſſit: relictâ facti Gloriâ (quæ Veſtra eſt) penes Authores, in publica Terrarum & Caſtri monumenta Suo merito relatos. Nota loquor, peruulgataque Nobiliſſimo Ducatui Mazouiæ, eatenus quoque Felicis, quòd Suorum Culturæ Noualium aduigilet, nè quà *Infelix Lolium* A-Catholicæ Nouitatis pullulet primâ extinguendum in herba. Olim, tam infeſta Virtutibus fuêre tempora, vt *Optimi quiq; otio aut ſitu abſtruſi, non niſi delationibus & periculis, in lucem ac diem proferrentur.* At NoſtræFelicitatis Temperator, Miniſterijs Reipub. Suiſq;, Meliorum è cenſu legit prouehitque, & oſtentat, quaſi ſpecimen & Exemplar: quæ Sibi Secta vitæ, quod hominum genus placeat; vt potè, Cui Beneficijs potiùs quàm remedijs Liberæ Gentis ingenia, certum ſit experiri. Patuit hîc Vobis Honoris Gloriæq; Campus, Fortes Animæ, germanâ Charitate Virtuteque Coniuncti, (SAMVELEM & ALBERTVM alloquor veneror que) Jllum Regni Curialem, Hunc Volhyniæ Vexilliferos: non ferre tantùm aut præferre ad pompam Regibus Prouincijſque Signa Martia, ſed eadem inferre Hoſtibus, & conferre manus manibus, Fatiſque & Mortibus occurrere Paratiſſimos. Etſi autem: *Nemo non quotidie* (quiritante Senecâ) Conſilium mutet aut Votum. Vos attamen in omni Actu Vobis ſuppares, Vobis conſtantes, nec iam ſtudio Militares, ſed more, immò Origine, Vſque Natalium eò perducti!

1 Ferunt Megarenſium populos ad Sepulchra Maiorum, Comitia inſtituere, Oraculo monitos: *Vt ſi res proſperè geri deſiderarent, referrent ad Plures;* quaſi multò Plures Viuentibus Defuncti cenſerentur. Palam eſt: adornari à Te Illuſtre Honoris Comitium PRÆSVL Ornatiſſime, in quo deliberatur: Non iam quid Tu Reipubl. ſed quid viciſſim Tibi debeatur a Republ. cum qua identidem ponis Calculum ad numeros Meritorum. Vt, ſerò decreta delataq; Virtutibus

præmia videri possint, qui tam citò Saluti Patriæ prouidere & scires, & posses. Citarem itaque ad Pontificiæ Potestatis Tuæ Comitia Maiores Tuos, nullis non Reipubl. functos Honoribus & Defunctos; nisi adessent Superstites, quà iure Sanguinis, quà vsu Contubernij; quà Officio propinquitatis, Tuo Honori assurgentes. Adsunt Tuis Illustria Parentelis Territoria. Adest non vacuo PRAZMOVIANÆ Virtutis Nomine GABRIEL Terrarum Varsauiæ Notarius, Tuæ Suæque Felicitati subscribens, Die Dierum Auspicatissimâ in chirographo pectorum connotatâ. Occurrit præcurritq; JOANNES PRAZMOWSKI, Terrori Gratiæq; immistus, Illum ferro acuens, hanc Nomenclatione adstruens; aucturus Fraterni Amoris excubias, manu, & Gladio pro Lege & Rege certaturus.

Adest geminatâ Virtutibus Nobilitate, Fraterno Sui Pontificis Amori, Honoriq; respondens FRANCISCVS PRAZMOWSKI Cathedralibus Craci Aris ritè Appositus Præpositusque, vnicè Gratulatus: Mereri Te apud Maiores Tuos non modicùm; tum ex Prosapiæ Decoribus per Te auctis; tum quòd Gentis Tuæ Vestigium posueris in fastigio Gloriæ non illis inaccesso. Benè prouidenterq; germanum (breui) Comparem, immensi (qui Tuus est) Laboris in partem adlegisti, Agendarum Regendarumq; Rerum prorsus Nobile adiumentum; non tam Necessitudini indulgens, quàm Hereditariæ (quâ præpollet) Prudentiæ præfisus innixusque. Cui Maiora de se quotidie pollicenti præstantique; (vt quondam Tibi) Industriæ summus Honor, Judicium Principis, Suffragium Principis Meruisse; vt, Votorum Compos, Principi debeat Gratiam, Sibi Causam.

Superest iam, Sacranda Jllustrissimo ac Reuerendissimo CONSECRATORI Tuo pagina, Suam Amplificado Nomini Tuo, Operam Studiumque, obuiâ inuitanteq; Humanitate Consecranti. Quàm lætum Illi, Administrâ Religionis manu Dicatum Deductumque Te, eo locari in fastigio, Vnde, tantùm supra cæteros ascẽsu emineres, quantùm infra Te, acclini Modestiâ descendisses. Et quidni, per Sacra Lætaque Encæniorum Tripudia, Loco Dignitateq; cederet

deret? qui nuper Tibi (altiùs Ascensurus) Pro-Cancellarij Munere decessisset? Annulum, Fidei Indicem Arrhamque ad Aras non traderet? qui eidem Tibi Sigillarem Regni Gemmam (alio Dotandus Annulo) tradidisset.

Nec absque Numine actum reor, vt antiquissima Antistitum Cracouiensium Arx, Tuæ Jnaugurationis Famâ clarior, Magno Hospite impleretur. Pertinebat enim ad prima Initiati Pontificatûs Tui Sacra, Exsecratio Fœderati Incolatûs, ibi nuper Sedem ac Propugnacula figentis, perenni obliuione, abolenda. Vt quòd residuum isthic erat Militaris Fascini aut Maleficij, Sacro deinceps Mystarum Carmine ritè excantatum, tenues vanesceret in auras. Quantò nunc Tutior, quantò Securior eadem Arx, postquam non Crudelitatis sed Amicitiæ Excubijs, non statione Militum Tuta timentium (vt est pauidum semper scelus) sed Hospitum Celebritate defenditur. *Maximum enim est Munimentum Munimento non egere.* Fidissima omnium Custodia, vbi Omnia non iam plurimo Terrore vt olim, sed meliore Sanctioreque *Colligatarum Mentium* VINCVLO Fœderantur. Quid igitur Religiosissimo DEDICATORI Tuo precer aliud? Nisi vt semper Obliget, semperque Obligetur, qui Te, Sibi Collegam, Nobis PONTIFICEM, inter Fasciarum Tæniarumque vincula obligauit ad Aras.

Extremum est, quod Emeritæ Fidei Tuæ incumbit Probatissime ANTISTES: Fouere Judicium Principis, quod de Te habet: Eundemque Locum Laboris & Curæ, quem Reuerentiæ Dignitatisque retinere. Fauet ille Suis in Te Beneficijs, additurus etiam Perpetuitatem Muneri, nisi eam aliundè flagitandam nôsset. *Tanta illi ad Benè-faciendum Vis, vt Indulgentiam Necessitas æmuletur!*

Quamobrem, circumfusus vndique, nunc Senatûs nunc Equestris Coronæ flore, collata in Suam Vniûs Salutem Vota Omnium Vnus audiat habeatq;: Vt, si Rempublicam ex Mente

te

te, & Vtilitate Omnium Ordinum moderatur; Si Eius Incolumitatem, si Gubernacula in Tutelam Cœlestium, recepta esse, vel Fato Hostium compertum est: vt finem facerent spirandi, quotquot in Eius Patriæque interitum Conspirâssent, sperâssentque se in turbido Piscaturos. Primùm ex Regni (quod barbarè appetierant) finibus eiecti, dein è vitæ Statione proturbati. Si denique Se ipso quotidie Admirabilior Meliorque appa-
ret, vt Diu Feliciterque
Contingat:

Illi Patriam, Illum Patriæ Superesse.